Bauer bibl. libror. rarior. Suppl. 1. B. 340. S.

Andr: Olszowski.

# CENSURA CANDIDATORUM, SCEPTRI POLONICI.

ante 20 Apr 69 scr. v. fatasri r. 92

Dantisci Anno 1669. d. 30. Septembris. Donum Typographi.

REgibus eſt aliis, potiundi jure paterno
Certa fides, ſceptrumq; patris novus accipit hæres:
Nos quibus eſt melior libertas jure vetuſto,
Orba ſuô quoties vacat inclyta Principe Sedes,
Quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.

# POLONUS POLONIS.

OTium mihi eſt de Candidatis, nonnihil ſcribendi, qui Sceptro Poloniæ, Abdicatione Joannis Caſimiri Regis in medio poſito, votis, curâ, ambitu imminent, vel tradito pridem more, donec Vnus eligatur, multos deſtinandi rumoribus & ſcriptionibus agitantur. Non indigna hæc Electore Cive occupatio fuerit, præmeditandi cenſendiq;, quem potiorem eligat, ne in conſulti ſuffragii jacta ſit alea, quæ rectè an ſecus ceciderit, bono maloque Reipubl: ſtabit & ſortem adferet, qualemcunq; libera Electio Nobis fecerit. Vivimus eâ felicitate incomparabili Poloni, ut Patrimonium non ſimus, neque Hæreditario Jure in Principis alicujus perſonæ aut familiæ ſervitium cedamus, ſed Dominos ultrò Nobis adoptemus, quibus Electis, non ſerviendum ſed parendum ſit. Atque aliis quidem Electivis Imperiis & Rebuspublicis in uſu habetur, certū intra ordinē, numerumq; haud ſanè magnū, ac non extra Patrium Orbem, imò Vrbem Principes adſumere, paucis Electoribus, & intra murorum repagula clauſis, pluralitate ſuffragiorum, nec difficili delectu.



Imperaturos Poloniæ Noſtræ, quam longè & latè Catholicus Terrarum Orbis diffunditur, liberrimè quærimus ſumimusque Singuli, Vniverſi, innumera Nobilitas, apertô campô, ſub Jove libero, Electorali Jure, contradicente nemine Candidatis ſuffragamur, Reges Nobis dicimus. Miraculi ſanè vicem habeat tam multos & infinitos, ex remotiſſimis Sarmatiæ, annexarumque Provinciarum oris, confluentes, ſtudiis, opinionibus, emolumentis, Religionibus diverſos, magnæ vel modicæ fortunæ, alios honoribus ſummis, alios privato & tenui cenſu, illos in ſpeciem triumphi, curribus & equis vectos, iſtos pedarios Cives, Nobilitate tamen nulli de gradu cedentes, non cuivis Domino ſervire paratos, judicio & libertatis inſtinctu, in unum conſpirare, ac Dictatoriâ Cenſurâ examinare, cui tandem faſcibus delatis nativam dignitatem ſubmittant, regique non juberi mandent. Quò magis contendendum eſt, nè quod ſorte naſcendi pleriſque Populis evenire ſolet, ut ſub Domino & in hæreditatem geniti, tolerantiæ excuſentur, Poloni libertate Electionis clari, impetu vel errore, aut per indignas corruptelas à recto tramite deviantes, malum Principem ſponte Noſtra, & culpâ ſuſtineamus. Inde mihi Cenſuram Candidatorum componere viſum, quam non affectatio gloriæ (ſucciſiva opera eſt) non ambitio aut corrupta partium ſtu-

*dio mens, quorum me prorsus immunem profiteor, sed bonus & candidus pro Rep: animus dictavit, monstrantibus domesticis & peregrinis exemplis, non alienum id boni Civis officio haberi, quò instructior Elector populus, meliùs & ex facili discernat, cui potiùs rebus Patriæ commodiori Sceptrum deferendum sit. Quod semel datum, superstite vita, de manibus extorqueri nec possit nec debeat. Fuerit quondam antiquorum Polonorum præceps & inconsulta, neque tamen infelix Electio, apud Promnicum Cracoviæ, qui cursu equi ad metam prævertenti, Coronam detulére, ac detecto mox dolo imâ de plebe hominem, Regem subinde acclamarunt. Tribuerint tantùm Electione Cruswicensi hospitali Mensæ, ut à rotarum opificio ad moderandum Reip: gyrum Piastum acciperent, sublatumque è sellula operariâ, Throno Regio imponerent. Sed mores alii nunc sunt, & posteriore ævo, quoties, ad Interregnum res Polona redibat, Majores Nostri de eligendo Rege, magno provisu agere, non temerè salutem, decus, fortunas Reip. cuicunque Candidatorum credere, optimum Electione invenire. Ac mihi sæpiùs lectione compertum, quæ Viri graves & sublimi prudentiâ vacantibus Poloniæ Sceptris informando populo olim atque nuper præscripserant, multaque ejus generis Electoralibus Imperii Comitiis, præprimis Censuræ titulo, in Electores & Eligendum vidisse memini. Imitari volui, meo duntaxat & amicorum usu, nè ad pulcherrimum opus, quô nullum in Poloniâ majus, nec majori diligentiâ tractandum, imparati aut malè occupati accedamus. Neque sine ratione Candidatorum numerum ad quinque personas redigo, de pluribus hactenus nondum audito, & vanũ censeo laborare ingenio, & conatu, pro illis, qui de Poloniæ Sceptro nihil laborant, aut callidiore consilio in occulto latent, ut ostentatâ mox fortunæ spe, distractos defessosq; Polonorum animos, & suffragia gratâ novitate in se vertant, novique & recentes tollant sceptrum. Sed jam ego, quod Reip: benè vertat, Censuram incipio.*

MOSCUS

# MOSCI, NEOBURGI, CONDÆI, LOTHARINGICI, POLONI.

## MOSCVS.

*Catholica Sacra amplectetur. Gentem suam Jagellonis exemplo Poloniæ simul & Fidei Orthodoxæ adjunget. Smolenscum, Provincias ultra Borysthenem à Regno abstractas, restituet. Fines Regni longissimè proferet. Vnitis cum Regno viribus, Portæ Ottomanæ, Tartaris, Viciniæ toti, ac tantùm non Orbi, terrorem iniiciet. Et metu ingentis Potentiæ tranquillitatem Nostram fundabit. Rempublicam ingenti Milionum ære solabitur. Exercitui Stipendia, providebit. A tributis, Agrariis, aliisve oneribus respirabimus.*

MOscum Romano-Catholicam fidem susceptorum, nulla fides.

In Schiſmate nimium ille pervicax, & fruſtrà jam in negotio Religionis pertentatus. Rem narro.

Magni Poloniæ Legati, Stanislaus Bienievius Palatinus Czerniechoviæ, & Cyprianus Brzoſtovius Referendarius Lithuaniæ, è Moſcovia reduces, narratione Legationis ſuæ, Rege & Senatu coram pro more factâ, adiecerunt: Magnum Moſchoviæ Ducem, probum piumque haberi, Pacta religiosè nec ſine lachrymarum teneritudine juramento firmaſſe: Cumque Legationis Princeps Palatinus Czernichoviæ, tradens Inſtrumentum Pacis, Sacra Apocalipſis verba, de *libro ſcripto intus & foris ſignato ſigillis ſeptem,* inſeruiſſet, mirè id Magno Duci complacuiſſe: Poſtremò



mò valedicentes & abiturientes Legatos, ab eodem rogatos monitosque, Venerandis Patribus Paiſio Alexandrino, & Macario Anthiocheno Patriarchis (acciti magna curâ & & ſumptu ad degradandum ex Sede Metropolitanâ Niconem, in eos dies Moſcuæ morabantur) honorem haberent, hoſpitesque ſibi gratisſimos inviſerent. Adpromiſere Legati officium, comiterque Salve & Vale ſimul Patriarchis dicto: Palatinus Czerniechoviæ quæ Viri facundia, de Regum Regnorumque potentia, de Conjunctione Polono-Moſcoviticâ, hoſtium cuivis, ipſique Ottomanico Tyranno formidanda magnificè ſermone; mox divertit: Patriarchis dignisſimum negotium reſtare, quando pax politica duas inter inclytas

Monarchias jam coaluerit, pari curâ, & fortunâ, pax animorum, concordia & unitas ſidei, Moſchovitico populo tandem illuceſcat. Nomine illorum reſpondit Ligarius Metropolita Gazenſis Vir doctus, trium ſupra viginti annorum in Collegio Græco-Romano alumnus, Patriarchas id unicè optare, cœloque vota tendere, præter hæc nihil ultra quod ſciam de Religione dictum, actumve. Emanavit exin rumor, tota Poloniâ, Magnum Ducem ad fidem Catholicam inclinare. Auxêre famam Comites Legationis, præcipuus rumigerandi Religioſus Ordinis Prædicatorum cum Paulo Potocio Palatinida Braclavienſe annos tredecem in Metropoli Moſchuæ detentus, ibidemque in Cancellaria Caræâ Latini interpre-
tis



tis officiô, Patriarchis, præprimis Gazenſi Metropolitæ, familiariter notus. Hic verbô & ſcriptô, ſtrenuè famam promovit, Patriarchas ad unionem Ruthenorum cum Latinis propendére, quod rebaptizationem Romano-Catholicorum damnaverint, penituſque abrogârint, Biblia Sacra expurgari & imprimi correctiùs, ad textum antiquorum Græco-Bibliorum mandârint, ſolitas excommunicationes ſtatis temporibus contra Romanum Pontificem, & Catholicos, interdixerint.

Hôc valeſcentis famæ inpulſu, Regiæ Majeſtati, & Primariis Epiſcopis viſum, non omittere anſam rei Catholicæ augendæ. Datum negotium, Andreæ Olſzovio Epiſcopo
Cul-

Culmensi, Pro-Cancellario Regni, qui literas Regias ad Patriarchas & Metropolitam Gazensem, mense Martio promptè expedivit. Mirum! tot frequentatis epistolis, tot commeantibus Legationibus, nihil responsi comparuisse. Permissum etiam à Rege Pro-Cancellario, Visitationem Internuntiorum Moschoviticorum, extra morem admittere, præmonente Dominicanô, illos Religionis negotium acturos, quod de literis ad Patriarchas & Czarum Pro-Cancellarii operâ datis, compertum haberent; sed frustrà fuit. Aurem enim avidè erigenti Pro-Cancellario, post varios duarum horarum spatio invicem sermones, nè verbo quidem de religione innuerunt. Exin facilè evanuit spes & ulterior cura uniendarum Religionum. Concessum ultrò Mosco

erat,



erat, ut impetratô primùm à Regiâ Majestate, summi Pontificis bene placitô, nec sine ejus Sanctitatis auctoritate, in Metropoli Moschuæ, Mense Julio, per Delegatos Archiepiscoporum ac Episcoporum Poloniæ, cum Patriarchis & Vladicis Græco-Schismaticis, colloquium (quod præoptare illi dicebantur) haberetur, quæ cuncta irrita, in eo tamen non modicum profuêre, quòd certò certiùs jam sit, Moschos cogitationem omnem de Religione Catholicâ, procul habere, nec temerè dehinc relationibus fidendum videri.

In ore etiam famæ, quod impressis novis differebatur; Moscorum legationes, Madriti & viennæ, promotionem ad Coronam Poloniæ quæsivisse, excitandoque favori Cæsareo, &

Hispa-

Hiſpanico, quadraginta Millium exercitum auxiliarem, Domui Auſtriacæ, contra quoſuis hoſtes adpromiſiſſe. Sed nihil vaniús iſto rumore. Imperator enim, pro amicâ in Nos benevolentiâ, & bonæ Vicinitatis ſtudio, rem tantam clam Rege Noſtro, minimé habuiſſet. Poterat aliquid forté excidiſſe Moſco, quó authoritatem Legationi ſuæ, non ſatis magnæ rei prægnanti, adſtrueret, aut quæ ſolertia gentis, dederit auribus Hiſpanicis, ut tanto opimiorem tractationem lucri faceret, prout conſtat ampliſſimè Madriti habitum: in re tamen, nihil penitus fuiſſe, indubium habeo, & talibus ineptiis orbe ſparſis iraſcor.

Affirmant periti animorum, & ſuperſtitionis Moſchoviticæ quám contu-



contumaci ſenſu & affectu in Græco Schiſmate occaluerint. Gnarum id mihi, relatione, Viri præſtantis, Miniſteriô Cæſareo in Aula Magni Ducis diutiùs functi. Solitum ferunt apud illos (ſi improbum morem hactenus non exuerint) ingreſſu fortè Catholici ad gentile ſuum fanum, illud pro polluto & profanato reputari. Palatinus Czerniechovienſis aliquando injecit; non id Moſchis volentibus eſſe, ut illi Catholicis Sacris initientur: potiùs ut Poloni in Sacra ritusque eorum degeneremus. Vir gravis & eruditus Moſchuâ nuper reſpondit, nullam ſpem Catholiciſmi Romani, aut unionis cum Latinis, in Magno Moſchoviæ Duce, Filiiſque Principibus, multò minùs in totâ gente affulgere.

Sed esto? Candidatus Moscus Orthodoxæ Religioni nomen daret? quid magni in Ecclesiâ uniûs personæ (Cristina Sueca occurrit,) accessione, nullô plus ultra rei Catholicæ incrementô? Moscovia, certus sum, neutiquam Regno Poloniæ, adeò minùs Ecclesiæ Catholicæ uniretur. E-contra Cosaci, & plebs Nostra Russoschismatica, quæ longè latè majorem tractum Sceptro Polonico subditarum Provinciarum occupat, à Rege Catholico desciscerent, aut saltem diverterent animos, acrioribus haud dubiè odiis Russo Græcorum, in recens Ecclesiæ unitos, quos Religionis transfugas appellare non verentur, quàm in veteres Catholico-Latinos.





Palliata Religio, periculosa, nec levioris noxæ, quam prudenter Roma veretur, nititurque totis viribus Pontifex maximus, nè Moscus fucô religionis obtectus, nostræque credulitati imponens, in Regem eligatur. Eâ causâ, piè & ardenter scripta Brevia Apostolica, ad Regni plerosque Senatores, Supplicationes Romæ habitæ. Ecclesia Nationalis S. Stanislai in Urbe, ab ipso optimo Pontifice Clemente IX. feliciter Ecclesiam gubernante, dotalemq; huic nomini ex grata memoria Clementis VIII. velut derivatum affectum in Polonos ferente, pluries, pedibus etiam sanctè visitata. Jubilæi gratia universæ Poloniæ nuperrimè indulta. Cardinalis Legatus à latere in Poloniam destinabatur.

Obverſatur animo, exemplum promiſſæ ab illâ gente, & mentitæ fidei ſub Gregorio XIII. Inanis abiit Legatio Antonii Poſſevini Jeſuitæ; quidni inanior nunc ſpes videatur? nam ſi Stephani Regis virtute Joannes Baſilius, fractus præliis, amiſſis exercitibus, exutus Livoniâ, in latibulis Dominii ſui deprehenſus, ac pené confectus, fallere Orbis expectationem ac publicam fidem non dubitavit: quantò procliviùs nunc integrô rerum ſtatu, auctus Smolenſco, & Transboriſtenanâ Provinciâ, oſtentatam unionem modernus eludet. Exemplum aliud vetuſtius Helenæ Magni Ducis Moſcoviæ filiæ, Alexandri Regis Conſortis, quæ Sacrâ Regni Coronâ non redimiri, quàm Catholicam fidem profiteri potiùs

malu-



maluit. Modernus Moſcorum Czarus, nimiò nimis religioſus, pietatis zelique ſui magnâ opinione, populari auræ velificatur: Vladicarum favorem & fidum affectum, anxié quærit, retinetque, quos regnandi primitùs auctores, & nunc ſubſidia ac fulcra dominationis, arcanô ſtatus ſui reveretur. Motiva credibilitatis, ut Cathedrarii vocant, quæ nam efficacia habere valeat; nulla lectione Scripturæ, nullis Sacrorum Patrum, Eccleſiæque veræ doctrinis inſtructus? nullô eruditorum ſubſidio & monitis, ſed cæcâ undique caligine involutus? Concionatoribus Moſcovitæ carent, ſatis putant ſacris ſuis interfuiſſe, ac Evangelii verba, quæ vernacula lingua Sacrificulus recitat, audiiſſe Concionari in ſuis Eccleſiis obſtinatisſimé prohibent, dicunt ſe hôc

modô

modô varias hæreſes, & diverſas de fide opiniones effugere, quæ ex concionibus & ſubtilibus argumentis oriuntur. Motiva politica, neque ea tanti, incerta pro certis. Catholica imbutus Religione, procul dubio Principatu deturbaretur. Populus & græci Schiſmatis Sacerdotium, haud paterentur non ſuæ Religionis Principem Thronum inſidere. Demetrium illum, ſuppoſititium, an verum? non alia magis causa plebs incitata, imperiô vitaque evertit; niſi quód Polonorum auxiliis Regnum nactus, viam unioni inſtruere credebatur. Neque ego Patriarchas, ſi quid de unione coram Legatis Noſtris forté annuerint, aliter quám Græcorum fide & mente locutos crediderim. An illi unionem ſerió optent, qui auctoritatis & juriſdictionis ſuæ, tot terrarum



rarum ſpatiis, in extremam uſque Arcton porrectæ, accesſione, Magni Ducis ad Catholicos, detrimentum non vanè præcipiant? qui Stipes, donaria, proviſiones, uſque in Ægyptum & Siriam Monaſteriis à Moſco mitti ſolitas, unione cum Latinis factâ divertendas intelligant.

Exemplum Jagiellonis minimè congruit, tempori & perſonæ. Ille é Paganiſmi Cimmeriis tenebris magnô ardore Orthodoxæ fidei lumen admiſit. Hedvige Regiâ Principe, Catholicâ Sanctâque fœminâ matrimoniô ductâ, eâdem, Magiſtrâ & præduce adeò profecit, ut Sacerdotis vicem ad convertendam Lithuanam gentem obiret. Schiſmaticis opinionibus & deliriis Ruſſorum uſque ad

ad ambitionem imbutus, errorisque retinentior, deduci in viam veritatis omninò difficillimus, præſertim ubi ſolò quaſi illiciô Regiæ dignitatis trahitur, bonæ fidei Catholicus non fiet. Aliâ nunc mente credamus Alexium quàm Theodorus olim fuerat, qui Coronam Regiam á Clemente VIII. magnificé petitam, data unionis conditione ſtatim deſeruit, inferiúsque Religione ſuâ habere monſtravit. Alia demum nunc tempora, & à Jagiellonico diverſa. Sæculum illud rude, candidum, incorruptum, neque tot hæreſibus infectum, quæ nunc Eccleſiæ Catholicæ nocendi nullam obdormiunt occaſionem.

De u-



De unienda & concorporanda Regno Poloniæ Moſcovia, ſana ratio loqui, imò cogitare formidat. Hæreditarium & herile imperium, in liberum & Electitium Regnum Magnus Dux nunquam tranſcribet, non gaudebit precariò velut regnare, cui vitæ neciſque ſummô arbitriò, quid libet in ſubditos, licet. Verebitur potiùs, nè illi præguſtatâ Polonæ libertatis dulcedine, odiſſe ſervitutem, aſpernari Dominos incipiant. Regnatricem ſobolem Deovè caſuivè Polonæ Electionis non committet; niſi fortè Poloni in hæreditatem familiæ Magni Ducis concedere, libertatem ſub jugum, tergum ſub fuſtes ſcuticaſque mittere, amemus. Non ita pridem Varſaviam tranſiens Moſcoviæ Ducis ad Rempublicam Venetam Legatus, quæſitus à curio-

d ſis;

ſis; reſpondit: Magnum Czar filium ſuum Sceptro Poloniæ ita demum permiſſurum, ſi hæreditariæ Moſcoviæ Regnum Noſtrum uniatur, Senatuſque Polonus eam ſortem Subditorum non renuat, quali cenſentur in Magno Ducatu Boiari.

Smolenſcum ut pretiô Coronæ Moſci reſtituant, vix cogitandum, quod illis adeò cordi, ut Patriæ Czareæ titulô fortalitium illud appellent. Nimis verò profuſos fingimus in gratiam Poloniæ Moſcos, ſperatâ jactatâq; Smolenſci largitione, quod confine, adeoque Polonicis bellis inferendis repellendiſque idoneum, uti ingentibus opibus munierunt, totque ſæculis uſurpare didicerunt, ita nunquam niſi fortioribus concedent.

Liber-



Liberaliùs ergò[a] Nos acturum Magnum Ducem credamus, quam Joannem olim Regis Sigiſmundi III. Parentem, qui promiſſâ inter conditiones de eligendo filio Eſtoniâ, non erubuit denegare eam Provinciam, cauſarique à Carolo V. & Maximiliano II. Comitiis Imperialibus, commendæ jure ſibi commiſſam, cum non minùs Eſtonia, pars Noſtræ olim Livoniæ fuerit, quàm Smolenſcum Lituaniæ ſit. Quid ni porrò potiùs ſperetur, Smolenſcum & ampliſſimum ultra Boryſthenem tractum per tractatus perpetuæ pacis, vigore Pactorum Andruſovienſium vindicari poſſe? Denique hæc oblatio, hami inſtar videretur, quô cum tali eſcâ projectô, tota in caſſes traheretur Polonia.

 Dila-

Dilatari amplius pomæria Regni, vix optem, & boni duco consilium Augusti, *coërcendi intra terminos Imperii*. Quēadmodum magnum & suo pondere gravescens corpus, ita magnum Imperium difficilè movetur, pluribus ictibus patet. Nihil in publicum accrescit proferendis Regni finibus, solæ privatorum opes insurgunt, cutæ, sumptus, bella Reipublicæ accumulantur. Valachia, olim Nostra, magnorum corporum funeribus nobilis, & tristi Elogiô Polonorum sepulchrum, toties à Granoviis, Tarnoviis, Zamosciis Maximis Ducibus, toties virtute & opibus Magnatum, in jus Regni asserta, retineri tandem non potuit,& tanquam continua bellorum seges, Pactis Bussensibus abiecta est. Prussiam, Livoniam, multi



ti sanguinis, Heroumque & sæculorum opus, parvô negotiô amisimus. Confinia Regni ultrà Borysthenem, & vastissima illa terrarum Severia, patrimonia Reipublicæ, infessa fuerunt Magnatibus, quibus inde privatarum opum vis, & Regii propè census; in publicum nihil, vel sané modicum pendebatur. Luxus, avaritia, insolentia, administrorum, rebellionibus occasio & causa fuit, plectuntur miseri Achivi, & Respublica tanto sanguine, tot Millionibus, internecino viginti per Annos bello, ultimâque sui ruinâ licentiam expendit.

*O quantum potuit terrâ pelagoq; parari,*
*Hoc, quem serviles hauserunt sanguine dextræ.*

Milliones commodi Reipublicæ accederent, verúm hi faciliùs dicuntur quám

quám dantur. Vané etiam præſumimus, aureos montes, aut fundo carentes in Moſcovia aurifodinas, cum pro Smolenſco, & Provinciis, quas vigore induciarum poſſeſſioni tredecennali Moſco ceſſimus, inſignis & adæquata ſumma, pactis promiſſa, vix unum intra Millionem ſteterit. Neque ſufficiebat Magni ducis theſaurus, integro Millioni ſimul exolvendo, quem etiam minutis nummulis argenteis ſupplevit, haud dubié, defectu aureorum & imperialiũ. Nummulos enim ſuos vulgò Dzięgas, pro optimâ cenſent monetâ, eorumque evectionem ſeverisſimé interdicunt.

Quidſi nec tanta premimur penuriâ, ut oneribus Noſtris ſufficere nequeamus, adſit bonum & acuratum regi-



regimen, Milliones aderunt, & accurrent. In facili etiam copiâ Nobis, pondera cupri, officinæ Boratinianæ, quibus Militi ſtipendia, æreô iſtô ſæculô exolvamus. An etiam deſperem generoſam Militiam Polonam, fratres, affines, concives Noſtros, emerita Caſtrorum ſtipendia Patriæ, Matri (pro cujus gloriâ ſaluteque Nobilem ſanguinem prodigunt) procliviùs donaturos, quod ſæpius fecerunt, quàm ut Nobis, ſibi, poſterisq; labem & perpetuum ſervitium, indecorâ nundinatione accerſant? Unus alterque Millio, non ex integro exercitui ſuffecerit, nec in longum Poloniam ab Agrariis relevaverit.

Nihil magis Nos interim gravat, quam Electoris Brandeburgici

Qua-

Quadringentorum Millium Imperialiũ pro Elbingâ: Centum viginti Millium Imperialium pro Drahimo, ſũmæ pactis aſſecuratæ. Sed & huic relevando oneri, non deeſt conſilium: pars enim aliqua, Centũ & ultra Millium Imperialium pro exactionibus Varmienſibus indebitè uſurpatis, proque ſexaginta tormentis illinc avectis, jam deducta cenſetur; pars pro non expeditis ad bella Polonica auxiliis (Moſchoviticum, Scythicum, Coſacicum, nova bella fuere) deduci jure debet. Reliquum compenſari poteſt, parte aliquâ Copiarum auxiliarium in pecuniæ vicem remiſsâ. Obligatur enim in perpetuum Elector pactorum & juramenti religione, pro accepto Ducalis Pruſſiæ beneficio, quingentos equites





tes Raytaros, Mille quingentos pedites benè inſtructos, ſingulis novis Polonicis bellis ſubmittere.

An etiam ſubibit animum Sereniſſimi Principis Electoris, ingentium è Polonis beneficiorum memoria, ut rigidior exactor eſſe tandem deſinat. An & aliquando, aurem obſtruet tortuoſis conſiliis, & nunquam explendæ cupiditati ſui Hovverbeci, qui geniô & aſſuetudine, factus ad peſſundandam Poloniam, nunquam Nos prætenſionibus & tricis implicare, & *perplexarier*, & patrimonio Reipublicæ decerpere dediſcet, cujus inveteratæ artis eſt, trahere magis quàm agere Polonica negotia: multa oratione nihil concludere, temporibus Reipublicæ inſidiari; qui

annos aliquot, Legationis titulo Varſaviæ reſidens, propoſitione ad Ordines Regni tot Generalibus Comitiis nunquam facta, privatorum duntaxat ædibus frequentandis, diſcurſibus & ſtudiis captandis intentus, per ſecretiores Cameræ vias, ſæpiùs muliebri opera, quidquid libitum effectui dabat. Iſtis artibus, condonationem clandeſtinam quingentorum Raytarorum, appendicem in lege Comitiorum Palatinæ Cracovienſi ſerviente, à ſubmittendis Rege licet inſtante auxiliaribus copiis ex Pactis debitis, per literas privatas relaxationem, titulum Domini in Lemburg & Bitau, Drahimenſis præfecturæ ſine *prævia requiſitione Summæ, & ſine denũtiatione publica*, contra manifeſta Pacta occupationem, procuravit. Rogatus aliquando



do à Deputatis Senatorii & Equeſtris Ordinis in Palatio Epiſcopi Cracovienſis congreſſum habentibus, propoſitionem ſuam ſcriptò offerre, in craſtinum promiſit; non præſtitit. Literas novisſimè ab Electore Brandeburgico, ad Rempublicam ſuppresſit: dum enim nomine Regio denunciatum accepiſſet, uti exemplò aliorum Miniſtrorum, ipſiuſque Cæſarei Ablegati, Varſaviâ emigraret, obtentui literas ad Ordines Regni digitô monſtravit, quas nunquam exhibuit.

Potentia ingens ſimul juncta, uti hoſtibus Noſtris formidini, ita Nobis non extra formidinem & hoſtilitatis occaſionem fortè eveniret. Turca ad famam pacis cum Moſco ſtabilitæ,

litæ, quam indignatur! minasque intentat! Quid si Regnum cum Magno Ducatu in unum coalescerent, verendum nè ultra verborum minas, bellum Nobis denunciet, inferatque. Remotior Moscovia periculo eximetur: Nos propiùs positos Tartari & tota vicina barbaries, sine respirio infestabunt. Hoc jam Varsaviæ Legatus Chani Tartarici, Dedes Aga, obnunciare; furiosèque rebus infectis abitum parare: vanè audito, post peractam abdicationem Regiam, Moscum à Nobis Regno advocari. Suspecta semper Græci Schismatis diffusa amplitudo Turcæ, sub cujus imperio; quod gnari referunt, tres subditorum partes græcisant, & pro Rege Russiæ (ita Mosco-

viæ



viæ Czarum vocare moris habent) suis in Collectis exorant.

Suecus, Brandeburgicus, cæterique vicini tantæ potentiæ indignantes, certo certiùs arctiori vinculo animorum & armorum sibi prospicerent. Non in obscuro est Electorem Brandeburgicum ablegasse ad Magnum Ducem, Donhoffium Palatinidem Parnaviensem præmonendo; ni ambitu Sceptri Polonici desisteret: omnes Principes contra illum consurrecturos. Cum Lituania olim Poloniæ concresceret, mirum? quam lividis oculis id vicinia tota aspexerit, nihilque intactum omiserit, quô Polono Lituana unio dirimeretur. Hinc infensæ simultates & factiones! Vitoldo Lituanicæ

Coro-

Coronæ, á Cæſare importuna oblatio: Principum fratrum in Jagiellonem Regem concitatio: Germaniæ propè univerſæ ad Grunevaldum pro Crucigeris partes & ſtudia: eorundem Crucigerorum Teutonicorum, in Livonia, in Boruſſia, vis & opes firmatæ: quæque alia Poloniæ infeſta hiſtoriis memorantur. Nec vanè affirmo, ſine hàc magnorum popopulorum concorporatione fuiſſet, alterutrum, Germanicis artibus, factione, potentiâ, in jus, ſortem, Corpus Imperii, prope tandem ceſſurum fuiſſe.

Candidatus Moſcus, Dux ipſe regnans, provectior annis, filius minor natu octennis puer, incapaces Sceptri. Filius natu primus, annorum Octodecim Throni Paterni certus hæres, ægré ſané á Parente, á populo dimittetur; exemplo Vladislai Noſtri, quem Electum Magnum Ducem Moſcoviæ, Pater Sigiſmundus, & Status peregré mittere tardaverunt. Caſu vacaturi Sceptri Moſcovitici, hæreditarium Principatum Filius natu grandior, dubio procul, advitalitio Regno Poloniæ non poſthaberet. Ergo vel utrumque Principatum retinere contenderet, quod ego cenſeo incompatibile: vel deſertis Nobis, clandeſtinè, aut palam poriperet ſe in patrium ſolum & Solium.



Incompatibile Regnum Poloniæ, cum altero, deduco: lex enim Noſtra ſtatuit, Regi, extra Regnum ſubiectasque ſibi provincias, proficiſci non licitum. Gravé & perincommodum

dum erat majoribus Noſtris, cum Budæ in Ungariâ, Comitia indicerentur: cum Judicia, Conſilia, regimen Statûs ſub Venceslao Bohemo, Ludovico Hungaro, peregrè expedirentur: Vultum Regis intueri, niſi peregrinantibus Polonis non liceret: Cracovia, Poſnania, Camenecum, aliaque validiora Regni fortalitia, imò integræ Provinciæ, externis gubernarentur: ac memorati Reges vix ſemel, armatique Poloniam viſerent: opulentiores terras hæreditariis Dominiis adſtruere, & incorporare niterentur: Territoria integra (cum aliquot arcibus, terram Dobrinenſis, Duci Stetinenſi, Vielunenſem Duci Opolienſi, ſuarum partium adhærentibus) poſſidenda donarent. Vladislaus Jagiellonides, Poloniæ Hungariæque Regno ſimul moderans mili-


militiam Polonam, Nobilemque ſanguinem defenſioni Regni Hungariæ contra Turcas immolabat, multis extremò Heroibus Polonis comitatus ad Vmbras, clade Varnenſi procubuit. Sigismundus I^mus^. amans Patriæ Princeps, ultrò delata Hungariæ & Bohemiæ Regna, repudiavit. Henricus innato erga ſuam Galliam affectu, Poloniam profugiô deſervit. Sigismundus III. & poſterorum ejus Suecia, in quantas Nos conjecerit calamitates, non renovo dolorem. Prudenter ſanè non ita pridem Sueci legem Cardinalem fundaverunt, Regnum Sueciæ, alteri cuivis Regno incompatibile haberi.

Regem illiteratum, non nemo


ſapien-

ſapientum Regum definivit *Aſinum coronatum.* Poloni, gens literis culta, excitata indole, promptæ & ornatæ facundiæ, Principem deſiderant Politicum literatum, Conſiliorum, Judiciorum, Negotiorum capacem, hiſcene ſufficiat Moſcus?

Potentia vicina Principis Moſcorum, Poloniæ impoſiti, gravis & inſidioſa libertati foret. Stipatus ille exercitu, quem Comitatum Aulicum diceret, Coronationem, Comitia celebraret. Levior aliqua offenſa, daret occaſionem, virium ſuarum magnitudine & celeritate, Nos opprimendi. Abſolutum & hæreditarium dominium introducendi. Græco-Ruthenum Schiſma proxime Lublinum & Węgroviam protenſum, totâ Poloniâ propagandi, ipſiuſque prædominium firmandi.



Abhorruêre Majores Noſtri ab Auſtriacis, & à Germanis, metu magnæ & vicinæ potentiæ. Hungari-Bohemi, conterminæ Nobis, fraternæque nationes, inclamabant olim: *Cave Tibi ab Auſtria, vicina Polonia.* Libera illa Regna, & pari Nobiſcum eligendi Regis libertate inclyta, ſemel electo potentiore vicino, in unius familiæ hæreditatem, & ſervitium, ſenſim ſinè ſenſu prolapſi.

Auxilia à Moſcis, non omnino ſecura, præſertim ſi corpus exercitus, non membrum faciant. Populus Romanus, *ſociis defendendis Orbis potitus eſt.* Imperium Orientis, Hungaria, tot Provinciæ, terræ, urbes, adſcitis Turcarum auxiliis: interitum ſibi acceleravêre. Franci Gallos, Saxones Angliam,

gliam, Nortmani Saxones: Gotti, Vandali, Hunni, Italiam, Galliam: alii alia Regna, olim & recentiùs, ferendo auxilia insederunt. Majores Nostri Marte domestico, & nullis antiquitus suppetiis, Rempublicam fecerunt, auxeruntque, quam defendere & propagare, bono cum Deo sufficimus. Rex Nobis Duxque bellator opus est, virtutem Civium non desideret, resurget, & reverentia Nostris vicinis, terror hostibus redibit.

Sed extremum, frustra ingenia cogitationibus torquemus pro Mosco, de Regno fortè non cogitante, neque illud se ambire, verbo, scripto, vel aliquo facto hactenus prodente. Ostentatam Poloniæ coronam

nam



nam, à Commissariis Nostris plena potestante instructis, Tractatibus publicis Vilnensibus, neglexit. Legatus illius Venetias nuper tendens, quid elocutus, supra inieci. Nasczokinus, coram Curlandiæ Duce vocem misit: Principem Moscoviæ in spem Regni Polonis permittere, perinde esset animam & corpus tanti Principis in baratrum præcipipitare. An etiam rogandus erit, ut accipiendo Coronam, beneficium dedisse, non accepisse, basilicè jactet, insultetque?

Nactus sum ad manum, fidam relationem Legationis Michaelis Haraburdæ, notæ dexteritatis Viri, à Senatu M. Duc: Lithuaniæ in Anno 1572. ad Magnum Moscoviæ

viæ

via Ducem Ablegati. Mandatum illi erat, explorare, an Magnus Moscoviæ Dux Filium suum Fedorum, Polonis Lithuanisque imperitare ambiret? Cui amicæ propositioni, superbas leges reposuit, in hæc Verba: Filius Noster minimè ancilla est, ut illi à Nobis aliquod debeatur dotalitium; si desiderant Poloni Regem, Lithuani Magnum Ducem, illum dicere, Castra, & terras Nobis tradant, prout consentaneum videbitur. Filius Fedori, hæreditet in Regno Poloniæ, & M. D. Lithuaniæ, memoratæque gentes à Natione Nostra non avellantur. Ubi contigerit Fedorum, vel aliquem de stirpe illius, fatis decedere, Corpus ejus, eorumque in Moscoviam deportetur, & gentilitio intumule-

tur



tur sepulchro. Sepeliendi in Polonia, jus non esto. Terra Livoniæ, cedat Dominio Moscovitico. In titulo præscribatur Moscoviæ titulus, Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Lithuaniæ, Porrò, si Magnus Ducatus Lithuaniæ secedere à Regno Poloniæ, Nostroque accedere Dominio prætulerit; id gratius multò accepturum. Tantine emitur Moscovitica servitus?

Sævitiam, quæque alia de Mosco trita, non exprobro. Remedia istis non desunt, & jam Civiliores videri incipiunt, gaudentque. Memorià tamen repeto, verba scriptoris Poloni de Interregno Henrici, atque his concludo: *Indignatio rei deliberationem de Moscorum Duce susceptam oppressit.*

NEO-

# NEOBUR-GICUS.

*ALter Regni Candidatus, Dux Neoburgicus. Notus Noſtratibus, & gratus memoriâ Conjugii, cum Principe Poloniæ Conſtantia. Non deſunt illi Magni Promotores externi, qui per Pacta & fœdera ſpoponderunt, invicem, Neoburgico, evectionem ad Thronum Poloniæ.*

INnotuit hæſitq; memoriæ multorum, Perſonæ dignitas, comitas, prudentia, vigor Neoburgici, Varſavienſibus nuptiis, cum Principe Noſtra anni tamen jam cis triginta lapſi, *grande mortalis Ævi ſpatium*, multùm demutavêre. *Non eadem eſt ætas* quæ media longè optima, cætera in morbos & detrimenta ſenectutis deſinit, aceſcit, vaneſcit. Speciosum illud in ludis Græciæ ſenum, *Nos quondam fuimus inclyti bello Viri*: Validiùs pro Republicâ juvenum: *Nos ta-*

*les sumus fac qui vis periculum.* Neq; id excidit memoriâ multorum, Opulentiam Polonam, splendoresq; Regiæ Domûs hinc exhaustos, suumq; Neoburgum avectos, ac demortuâ improli Consorte, dotem eò unde profecta est, nequaquam rediisse. Gratia expiravit simul atq; Affinitas, Regiæ Principis excessu. Vladislai Regis Judicium supremis tabulis Neoburgicum laudantis, potentemq; regnandi commonstrantis, prudens illo temporis, & tantô Rege dignum non abnuerim, sed tempestate modernâ, *hic si esset aliter sentiret* neq; (quô amore & curâ erga Poloniam fuit) tam facilem calculum poneret, in Principem sorore suâ orbatum, Liberis Regii sanguinis destitutum, Reipublicæ gravem, libertati metuendum.





Promotiones externorum ad Coronam, Actu in ipso Electionis pondus obtinent, Polonisq; æstimantur. Ante Electionem, & stante adhuc Imperiô Serenissimi Joannis Casimiri, præmaturô & malè consultô ambitu fabricatæ, lædunt enormitèr Jura liberæ Electionis. Intolerandum generositati Polonæ, fœdera de Nobis, sine Nobis, Principes iniisse. Adeòne pupilli & rerum nostrarũ improvidi videmur, ut Tutores Nobis moderandis, sese ex Condicto ingerant, Regem pro arbitrio, rebus suis obnoxium libero populo obtrudant? Amori & favori in Poloniam non opportuno; spontè renunciamus nec invisis beneficium conferri necesse habetur. Gratia bona sit ex Nobis tam pronis exterorum in res Poloniæ studiis, sed illâ subjectâ

formulâ, quâ fœderatis ab Ordinibus Legationi Principum Germaniæ responsum, Grotius doctissimus Batavorum scribit: *Ne inutili curâ fatigantor: rerum suarum non alios quid illis expediat, se peritiores.* Ego istô animô in Rempublicam sum, ac plures fore non dubito, ut omnes licet egregiæ capacitatis numeros Neoburgicus impleret, mille commodis Rempublicam bearet, (salvâ ex me Serenissimi Principis Veneratione & libenti ad licita quævis obsequiô) Regem eum dicere & ferre non possim, qui prælicenti ausu fortunam suam externis fæderibus & auxiliis, non liberæ benevolentiæ Polonorum credidit, permisitq;. Non temerè vereor, nè Elector Brandeburgicus (aliquando tentasse legi) Electorale Jus inter Polonos veteri & explosâ prætensione affectet. Principesq; alii ab hoc uno





fælicis Confœderationis successu, in futurum mancipatam sibi Poloniam sperent, præsumantq;. An Poloni rerum alienarum anxii, & satagentes, Electionem Imperatorum aut quæcunque alia externi Statûs negotia attrectamus? Primi Nomina pro Neoburgico dedêre Brandeburgicus, Rex Galliarum, Rex Sveciæ, accessêre eidem promotioni Cæsarea Majestas, Elector Saxoniæ, cæteri Electores & Principes, Imperii, suis quisque commodis tendentes, ac præcipui vetustis novisq; prætensionibus ad Juliam Cliviam iter sternendo, quin & Primarios Poloniæ Status sanciendis istis fœderibus momentum addidisse, necnisi *illis suadentibus & impellentibus pro tuenda libertate & avitis liberæ Electionis Juribus eam maximè opportunam Confœderationem factam*, epistolâ propriâ manu exaratâ, Neoburgicus fatetur. Er-

gonè illo Rege Immunitates & Jura Nostra firmitèr stabunt, qui per violata, ne dicam calcata isthæc, gradum facit, thronum affectat? *Malè quæsitum Imperium vix unquam bonis artibus retinetur.* Plena res suspicionis, Brandeburgicum & Neoburgicum, ab illâ horâ factos amicos, neque ex vano opinio, rumoresquè gliscunt, secretioribus Pactis, partem aliquam Poloniæ Brandeburgicum, aliam Suecos præcidisse. Gallum, opportunâ rebus suis Palatino Neoburgici promotione, potiundæ firmandæque ad Rhenum Dominationi, ac ubi casus detur, Imperiali Coronæ oculos spemque vastissimam admovere. Imperatorem nullô in privatum commodô, consensu multorū abripi. Principes Germaniæ, tot ab ea promotione spes sibi quemque derivare,



rivare, ut desideriis illorum explendis, non Julia, Clivia, Montes, sed integra deficeret Polonia.

Obstat Neoburgico ad Regnum, grandæva ætas, onerosior, quā ut belli togæq; Nostræ officiis supersit, senescentis Reipublicæ inclinans moles, adolescentiæ robore erigetur, invalidus juventâ aut senectute sub pondere primùm gemet, mox succumbet. Lex Romana à quinquasegimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat & Romanô verbô, *de ponte dejicit.* Quod Sigonius doctè explicat: Sexagenario non communicari suffragiorum jus, quod per pontem ferebatur. Senilis ætas quod olim de Galba facilè, *fastidio*, cui nihil quiete, ac æternitatis meditamentis beatiùs Diplomate Abdicatoriô Joannes Casimirus

rus docuit, exemplô monſtravit, neq; ſecurum & conſultum Reipublicæ, *in caducum parietem inclinare,* ac brevibus annorum aliquot induciis,ad Interregni pericula & curas iterum revolvi. Poloni Regem Vigentem & Vernantem flore ætatis poſcunt, ut *in mores hominemq;* Polonum faciliùs immigret. Comitiorum, Judiciorum, Caſtrorum, incommodis ferendo ſit. Jura, linguam Noſtrã addiſcat, Uxore, ex Voto Reipublicæ ſumptâ,illuſtri& lætô nos Matrimoniô ornet, firmetque.

Non minor obex, Numeroſa & tenera proles, providere, augere undecem Liberos Regios, grave & intolerabile Polonis, quorum ægrè aliquis ex pane benè meritorum delibaret. Diſcrevit majorum prudentia, bonorum Reipublicæ potiorem ſortem (Regalia



Regalia vocamus ) quæ egregiis alterutrâ Pallade Civibus Reges largiantur. quàm moleſtum & inimicum Virtuti antiqua meritorum præmia, ad Cunas & Nuces diverti. Fertur, ſacerdotio duos filios deſtinari, ergò in ſpem Epiſcopatum, Abbatiarum Poloniæ, & *cujus erunt opima in Iſrael,* niſi præprimis filiorum Regis, Prælati Nationales longã expectatione conſumi, vel analectis contenti vivere cogentur. Non potuit Neoburgicus Princeps, emoliri Electionem filii ſui in Coadjutorẽ Epiſcopatûs Monaſterienſ: ad Electoratus Spirituales, Abbatias, ad Capitula Germanica, non adeò prona & expedita via, liberâ illic Capitulari Electione, neque magis altum ſanguinem, quàm merita, & ſuffecturas munera dotes cenſente. Cæteris filiis & Vir-

ginibus, unde provideretur, nisi ex Reìpublicæ Præfecturis, & Tenutis. Oèconomiarum legibus prohibita divisio, *nè Princeps egeat*, neque dividio locus, cum notabilem partem redituum, Serenissimo Regi Joanni Casimiro decidi oporteat. Julia, Clivia, Montes, quid sint inter tantos, jam Regiô nomine coruscantes. Quid etiam juverit, Capitulationis legibus Regios liberos circircumscribi, & extra Poloniam detineri, cum nulla lex potentiora naturæ Jura, & paternum maternumque affectum, præsertim erga teneram prolem, adstringat? Terentianum illud conveniet: *Ibi sumus, ubi non sumus, ubi non sumus, ibi est animus noster*, ibi cura, opes, provisio, solicitudo, intẽtior erga absentes, quin & secernere liberos à parentibus, inhumanũ, nec diu, quæ facilitas Nostra, ac Regnantium respectus est, servabitur. Ex-



Expenderit quivis futurorum providentior, post mortem Electi Regis, cis-Sexagenarii, Podagrici, ægri, & qui longúm perennare non sufficit; non adeò facilè Polonos ad Electionem filii, in Regem qui extra Poloniam natus sit; inclinaturos. Migrandum ergo illis hinc foret, aut Regnans Pater, studia & favores ad stabiliendam filio in Throno successionem, compararet. Hinc diffidentia, motus, confusio in Republicâ, & tristis iterum redivivæ Electionis Catastrophe. Vel si à morte Parentis filii emoveantur, periculum à potenti & amplissimâ cognatione. Nullus fermè in Imperio potentior Princeps numeratur, quem Sanguinis nexu tam Palatinâ quam Landgravicâ Domo, Neoburgicus non proximè attingat. Majorum Nostrorum temporibus, Vladislai II. & Filiorum e-

 jus

jus exilium, bello nos cum Cæſare & Bohemiæ Rege Affinibus implicuit, poſtremùm, avulſionem Sileſiæ á Polonia perfecit Popielidarum, electione Piaſtanâ, excluſio, quidquid Albi & Balthico mari Terrarum interiacet, Dominio Poloniæ abſtraxit.

Obſtruit Neoburgico aditum Regni, Principem Germaniæ eſſe. Magno auctore didici Maximiliano Fredro Caſtellano Lepolien, eminenti in literis & Republicâ Viro obiectum id Erneſto Auſtriaco, *quòd è populis Germanis oriundus eſſet, quæ gens natale fert odium in Polonos.* Alieni ſemper, à Principibus Germanicis Poloni, quibus nunquam volentibus erat, è Germania Reges eligere, imò prenſantes reiiciebant, ita Sigismundus Marchio Cracoviâ excluſus, Archidux poſthabitus, Maximilianus armis victus, & captus. Magna varietas animo-



animorum morumque, Germanos inter & Polonos, faſtidierunt ſubitó Poloni memoratum Sigiſmundum, qui ad menſam, ne vultu quidem Noſtros dignabatur, & intrantibus fores claudi mandabat meritòque ſcribit Author: *Ille Polonos de Triclinio, Poloni eum de Regno excluſerunt.*

Nationem Germanam univerſam, non eſt quód inculpem. Per Incorporationem Terrarum Pruſſiæ, Livoniæ, Curlandiæ, per crebra inter Accolas commercia, per emerita bellis Stipendia, quæſitasque opes, remiſerunt de odio gentis Noſtræ. Sed Principes Germaniæ, inſitâ abſoluti Imperii cupidine, eâque cunctis affectibus flagrantiore, domi (ſciens ſcribo) graves Domini, Polonis intolerandi. Nota in Annalibus Noſtris, crudelitas & avaritia, Germanicarum Dominarum, Vxoris Popieli II. Chriſtinæ, Vladislai II. Rixæ Matris Caſimiri Monachi. Domus Auſtri-

Auſtriacæ fœminas excipio, quas Sanctitas, probitas, Clementia, Gravitas, omnes adeò in ſignivit: ut verè dicam: fatô ab illâ Domo, aliis Reges; Polonis, Reginas feliciter provenire.

Memorandum liberè & illud, prægraves ſemper Regno Noſtro Germanos. Evocarant Crucigeros Teutonicos Majores Noſtri, extorres, egenos, pulſos Ptolomaidê, auxiliô contra genties Pruſſos. Quid tandem? perdomitâ armis Pruſſiâ, ingrati illi & rebelles, cruentis & internecivis bellis Poloniam ducentos ultra Annos fatigarunt. Religioſi erant, fidei Propagatores, tamen omni genere Crudelitatis in gentem Noſtram, & Chriſtianũ Populũ deſævièrè. Exiguô numerô Ordo, ſæpiùs Quingentorũ, imò Centum, ad Tannebergam Centum Qua-



Quadraginta Millium Germanico exercitu, aciem inſtruxiſſe leguntur. Societati illorum innexi agebant, Imperatores, Reges, Principes. Quidquid floris & roboris Germanici fuit, in Polonos pro Crucigeris belligerabat. Nonnè vivax memoria, Carolô Guſtavô irrumpente in Poloniam, undique velut ſignô datô, Principes Comitesque Imperii accurriſſe, & Poloniam bello jam captam, quaſi hæreditatem certam hianti cupiditati ſuæ deſtinaſſe? Nonnè Rex idem Sueciæ, delectibus in Germania habitis, exercitui ſuo ingens robur fecit, omnes fermè Electores Principes, liberæ Civitates, auctorare militem Sueco, non obſcurô conſenſu permittebant, iniquiùs quàm in Poloniam, vicinam, amicam & Pactis Monaſterienſibus incluſam

clusam conveniret? Quod Ministri Regis Poloniæ, Andreas Morstinus, supremus jam Regni Thesaurarius apud Imperatorem Saxoniæ & Moguntinum Electores, ac Deputatos Principum Francofurtanos, mox Andreas Olszovius Vice-Cancellarius, coram toto Côllegio Electorali (prout in Actis Francofurtensibus, publico datis legere est) graviter conquesti, frustrà inhiberi postularunt. Nonne in memoriâ Majorum, in oculis Nostris versatur, quibus artibus & technis altera linea Marchionum Brandeburgicorum, Prussiam Ducalem hæreditatem Nostram, occupaverit? quod historicè narrare, non alienum eò loci duxero.

Albertus Brandeburgicus Electus Magister Prussiæ ex Lineâ Anspachianâ



anâ descivit ad Lutheri Sectam, Votisqué Religiosis obstrictus, regnandi libidinem ac thalamum, illis præposuit, metu ex hinc summi Pontificis & Caroli V. Censurâ Ecclesiasticâ quòd Votum Castitatis more Monachorum factum fregerat percussus, & à Cæsare proscriptus, cum Rege Sigismundo Avunculo suo (sorore germanâ filia Casimiri natus) Tractatum occæpit, permitteret sibi Domuique suæ Anspacensi Jure fiduciario possidendã Prussiæ Partem, Pacto fidelitatis Vasallagii, & copiarum submittendarum, contra quoscunque Regni hostes. Rex Sigismundus Alberto, pronô in nepotes affectu, & tribus fratribus: Georgiò, Casimiro, Joanni, Jure Feudi Ducatum concredidit, Ducemque Prussiæ ex Ordinis Magistro creavit. Quod

 Jus

Jus memoratum, uni post obitum alterius, & Filiis eorũ, prærogativâ Majoratûs serviebat. Mansit hæc Dominatio in eâ Domo non ultra Annos. 78.

Alteram Lineam Electoralem seu Berlinensem, Brandeburgicæ Domûs, nullatenus Feudum Pruthenicum attingebat, & Successione in Ducatum cum prima lineâ extinctâ: secundùm Jus primæ Investituræ, Prussia Ducalis ad Corpus Regni accedere, & accrescere debebat. Efformando tamen sibi prætextui Domûs Electoralis, cum Albertus Fridericus Homagium Sigismundô Augusto Lublini in Conventu Regni Generali Anno 1569. præstaret, Nuntios suos attingere Vexillum procuravit. Impetravêre etiam secretè à Sigismundo Augusto





Privilegia unum Petricoviæ Anno 1568. Alterum Lublini circa Homagium Alberti Friderici 1569. Vigore quorum, Joachimus Marchio Elector admissus à Rege ad Ducatum Prussiæ, & contactu Vexilli, Nuntii illius non prohibiti. Quamvis super eo Nuntii Terrestres protestarentur, quæ Protestationes postea Stephanô & Sigismundô Regibus, innovatæ, in liberâ Republicâ, vim habuêre Tribuniciæ Intercessionis, Jusque infirmabant & & vitiosum reddebant. Neque Privilegia, insciâ Republicâ concessa, totamque alienationem per Regem duntaxat, in Regno Electivo validam fuisse; certi Juris erat. Memoriæ posterorum consignavit Magnus olim Cancellarius, & militiæ supremus Præfectus Joannes Zamoscius, ingentem

ſummam Reipublicæ eô nomine oblatam, quæ rejecta, privatum potiùs Sigiſmundi Auguſti auxit Ærarium, & corrumpendis Aulicis inſerviit.

Decendente fatis ultimô Albertô, ex familia Anſpachiana, finitaque Curatela, novum Feudum à Rege Sigismundo III. impetrat pro ſe & quatuor fratribus Germanis, Joannes Sigismundus Elector Brandeburgicus, Cæteris lineis *Columbacenſi, Onaldinâ, Franconicorum Marchionum,* in perpetuum à Jure Feudi excluſis. Sed ecce iterùm per Pacta Bidgoſtienſia intruſæ *Specialis rationis* nomine, Domus Columbacenſis Onaldina, in caſu Caducitatis hodierni Principis Electoris.

Idem modernus in Boruſſia Dux, ex Vaſallo *perpetuus ac inviolabilis fœderatus* Noſter, (abſit veritati hiſtoricæ offenſio) quid



quid non molitus? parando abſoluto Dominio; Jus, ejus cauſá violavit *Domino ſuo naturali*, ita Regem Juramento Feudali appellaverat, hoſtem egit: Poloniæ quam Patriæ loco revereri & defendere fas erat, ſine clarigatione imò pactâ priùs cum Statibus & Ordinibus Regalis Pruſſiæ armorum conjunctione, deinde oſtentatâ per Maydelium Noſtrum mediatione, bellum fecit: Regi Sueciæ, non Socia duntaxat arma, Viginti Millium lecti & recentis exercitús, ſed perſonam ſuam junxit, eidemq; commilitavit: Præliô ad Pragam Varſavienſem, Cœlô & Campo beneficii feudalis teſte, & exprobrante, Polonum ſanguinem fudit; Pacta de Pruſſia, de Varmia, de Palatinatu Poſnanienſi, Calisſienſi, Terra Vielunenſi ſtabilivit: Varmienſem Epiſco-

piſcopatum titulò Ducatûs Sæcularis indignâ Metamorphoſi, donari & appellari fecit: Poſnaniam præſidiò inſedit, pecuniâ & Commeatu Suecos maximè tunc laborantes refecit, ut Regem Noſtrum ex Urbe Gedanenſi in Poloniam reditu arceret.

Recedere poſtremò à Suecis maluit, cum illis alea belli adversùm caderet, ſed irreparabili damno & detrimento Noſtro, quippe multis artibus & factionibus, favore Reginæ, non nullorum quod dicere nolo - - -: Auſtriacâ promotione (Iſolâ Suffragium Electorale ad Coronam Imperatoriam Bidgoſtiæ conciliante) Supremũ Boruſſiæ Dominium, nullò Conſenſu ac nè Scitu quidem Pruthenorum, Lemburgum, Bitoviam, Elbingam, Drahimum, ſummas ingentes in turbido cæpit; atque extorſit.

Plura


Plura alia in aperto ſunt, quæ vocem doloris ſtrictim eliciunt, & ſenſum injuriæ, bono cuivis nec occupato Civi altè imprimunt. Qui potuit Elector conditione Quingentorum Equitum ſingulis bellis Poloniæ præſtandâ adeó de facili, inſciâ Republicâ, in perpetuum abſolvi? Pacta manibus tenemus, Juramento Electorali firmata, in quibus hæc Raytarorum auxilia continentur. Pacta hæc cum perpetua ſint, cur in publicam lucem per typum non exierunt? cur neque in Conventibus Palatinatuum præcognita, neque in Generalibus Comitiis manibus & lectioni Nuntiorum concredita fuerunt? Certum habeo, neminem Nuntiorum, ac vix forté aliquem Senatorum illa perlegiſſe, quorum tranſcriptum ægré multis poſt annis, mihi non poſtremo Civium obtinere licuit. Tra-

ditio

ditio ſupremi Dominii nè hæc quidem candidè procurata & peracta, nullô prævió Tractatu, quò Elector Nobis ex parte ſuâ ſatisfaceret. Inſtructio Commiſſariis Noſtris data, non latuit Electorem, priúsque quod proponi debuit, ille ſcriptô legerat, quàm voce Noſtrorum proponeretur. De violato & ex domo ſuâ arrepto bono patriotâ Roth, non omitto dolere, cui crimini fuit, quód pro libertate, pro Rege aliquid ſentiret, diceretque; fretus Cautione Pactorum, *Iura Statuta Privilegia, Immunitates, libertates Auguſtanæ Religioni, Nobilitati, Civitatibus*, integrè ſalvante, & quia nondum Regi ac Reipublicæ Polonæ, ſubjectionem ejuraverat; tenetur in Carceribus magnanimus & innocens vir, fruſtrá habitis, toties literis, quibus Rex Poloniæ, Rex Daniæ, Primas

Archi-



Archiepiſcopus Gneſnenſis, multi Principes & Senatores, pro libertate ejus Electorem orabant. Gravitèr habere Polonos debet cuſa moneta, ſuperbo cum titulo ſupremi Pruſſiæ Domini & Hæredis, quæ nomina Rex Poloniæ nunquam in Titulis ferebat, neque Polonia, ſtante licet Dominio Electorali, hæreditatis ſuæ in Pruſſiam Ducalem, & in eventu Caducitatis lineæ Electoralis, Juris ſtatim poſſeſſorii oblivíſci poteſt. Vſurpatus Trajectus per Viſtulam, non eſt quód diſſimuletur, in Principe jam abſoluto, quem ſtante Feudo nec affectavit nec affectare potuit, Jure omni in Viſtulam penitus deſtitutus. Ligæ, Guarantiæ, cum Regibus & Principibus ſtabilitæ, pro Ducali Pruſſiâ, contra expreſſam reciprocam *Cautionem*, malè



amicæ

amicæ Nobis, quia ſine Nobis, quid ni etiam contra Nos? Titulus Domini in Lemburg & Bitovv, neque legibus Feudi, nec ullâ tractatione, aut á principio ſtatim traditi Dominii Nominatione, conceſſus, non rectè à fiduciario Dynaſtiarum, uſurpatur, in præjudicium ſupremi Dominii Regum, & Regni Poloniæ. Reductio monetæ argenteæ Polonicæ, in Ducali Pruſſia, minùs Pactis & bonæ vicinitati convenit, cum *de pretio, valore, ac æſtimatione monetæ, liberoq; ejusdem curſu amicabilitèr conveniri* debuiſſet. Violenta Drahimi occupatio, ad famam Abdicationis Regiæ, arguit contemptum Reipublicæ, & grave contra Pacta attentatum, *requiſitione ſummæ apud Rempublicam & denuntiatione*, uti illa ſonant, *priùs* non præmiſſâ.

Dux



Dux Curlandiæ, etiam hic Noſter Fiduciarus, paulatim audaciam ſumit ſtylumque condiſcit: Appellationes poſt Curiam Regiam non permittit: Epiſcopatus Piltinenſis liberam Nobilitatem gravi Dominiô premit: hoc animô & totô conatu agitat, ut Supremi Domini & hæredis in Curlandiam Jus titulumque ſibi arroget: Regem, Regnumque Poloniæ Majeſtate & Imperiô in eam Provinciam evoluat. Nec abnuit, jam fama, Ducem operâ Livonum & Curlandorum qui in Camerâ Regis, nuper præpollebant, Reſcriptum aliquod, magni in Rempublicam præjudicii, ſecretâ viâ obtinuiſſe.

Terrent ego Nos veſtigia, terrent uſurpandæ & retinendæ dominationis artes, moresque imperitantium Germano-

manorum, quibus candore Nostro pares non sumus. Terret fama, haud semper errans, pro officio promotionis, Prussiam Regalem, Liuoniam reliquam Samogitiam Secretiori licitationi subjectam, quòd non temerè audimus timemusque, non obliti, indignæ transactionis cum Rege Suecorum, de Supremitate Borussiæ, de Episcopatu Varmiensi, Palatinatu Posnaniensi, Calissiensi, Terra Vielunensi.

Dux Neoburgicus, sceptrô Poloniæ potitus, dubio procul Regnum Successoribus suis, in hæreditatem linquere affectaret. Germani, quod semel capiunt firmiter & in ævum retinent. Consiliarii, Jurisconsulti, Palatini hoc agunt vigilant, somniant, ut Jura & Dominia Principum suorum per jus, per injuriam, plùs ultra augeant, æternentque.



que. Adeòne Dux Neoburgicus, Sexagenarius, Regnum ambiret, nisi illud filio & serìs nepotibus de manu ad manum tradendum destinaret? Hinc, Ligarum, fœderum, Guarantiarum, quas pro Domo sua cum Principibus stabiliret, seque adversus Polonorum libertatem, cui nunquam tuta apud exteros Principes fides, consiliis & armis permuniret.

Magna vis & amplitudo Palatinæ Domus, politico judiciô, altiùs examinetur. Simul juncti unius familiæ sangvis, Poloniæ & Sueciæ Reges, Coloniensis, Heidelbergensis, Electores, uxorii sanguinis, Landgravii Hassiæ, tot Agnati, Affines, fœderati, quàm formidandi Polonis, & cuicunque viciniæ? Procedēte tempore, tot liberi masculi fœminæque per nova Connubia *& qui nascentur ab illis*, fortioribus quó pluri-

pluribus vinculis, incomparabilem familiæ potentiam firmabunt. Regnante Polonis Principe, Austriacis æquatô, vel ut nunc ad Duûm Viros Augustæ Domus redacta res, superiore: animus fortè illi incideret Imperatoriam dignitatem prætendendi, quæ ambitio Poloniam ingentibus periculis, molestiis, difficultatibus implicaret, factionibus, bellis, permisceret; seu exemplô Regni Bohemiæ, Titulũ Electoratus ad Imperium, tanquam laciniam, consarcinaret. Verbo: Quidquid Majores Nostri ab Austriacis libertati metuebant, id nunc terroris & periculi á Palatinis impenderet.

Rege Neoburgico, Germani, & Germanæ fœminæ, Dominium Aulæ, & Cameræ potentiam, tenerent; imbuerent, uti solent, regnantem odio, mox



mox contemptu Polonorum, Illorum arbitriô & suffragiô irent promotiones, magnô gentis Nostræ dedecore, magnô nequè ferendô, prout hactenus, Regni Ministrorum & Civium benèmeritorum præjudiciô.

Favor Galliæ, & Confœderatio pro Neoburgico secretioribus, quàm ut evulgentur, Causis inita, an multùm juvet, vel noceat; ex iis quæ inferiùs scribo colligere sit.

De Ærario Neoburgici & grandi inde rebus Nostris solatio, addubito. Ferunt Ablegatum ejus Gissum aliquantulâ summâ Imperialium profusâ dixisse * * *. Vana crediderim, & parca spes, à non immodico nec prodigente opum Principe, atque instar aucupii, quô cibi semel iterumquè objecti levi jacturâ, cassibus aves involv-

voluuntur. Certiùs multó erit, Polonam opulentiam, notâ jam viâ, Neoburgum aut Duſeldorpium deportatum iri. Propinquior illi & magis cordi hæreditarius Principatus, quàm Advitalitium, dubiæ, ad poſteros ſuccesſionis Regnum. Neoburgus Juliam, Cliviam, attentiùs, tanquam ſua, curabit; externa Noſtra ſine cura habebit.

Regina Bona, filio filiâque, in Poloniâ licet ſuſceptis, & relictis, theſauros hinc in Italiam vexit, Ducatum Barenſem à propriis liberis alienavit. Ludovica Maria piæ memoriæ, exhæredem, alicujus etiam ligulæ (Plenipotentiariis Angianis & Palatinæ omnia cum pulviſculo everrentibus) & exſortem Poloniam fecit. Aurum, Clenodia, grandis ſumma pro venditis Opo-


polienſi, Ratiborienſi, Ducatibus, in dotem Nepti & Angienſi ceſſêre. Ultra hæc, Rex optimus, exolvendo rigidis Exactoribus Legato (præter Annum gratiæ, ſive annuos reditus ex vacantibus tot Præfecturis gratuitam Donationem) ducenta Millia à Menſa propria in vim ſatisfactionis Legatario numeravit. Vrgebat, acritèr ac moleſtè Petrus Bonſus Epiſcopus Biterrenſis Legatus Gallicus, Clenodiorum Regni ad manus ſuas extraditionem, niſi Executores Reginalis Teſtamenti, Nicolaus Prazmovius Archiepiſcopus Gneſnenſis, Andreas Olſzovius Epiſcopus Culmenſis, Vice-Cancellarius Poloniæ, Chriſtophorus Pac Cancellarius Lituaniæ, Joannes Malachovius Referendarius Regni, non ſine periculo offenſionis, ſe-

ſe prætenſioni oppoſuiſſent. Finio, Archiepiſcopi olim Gneſnenſis, Stanislai Karnkovii meáquè nunc ſententiâ: *Nolo* (inquiebat ad Gorcanos) *domum meam cum Germano Rege reverti.*

CON-



# CONDÆUS.

*GRatus ob memoriam Reginæ Noſtræ. Regii Sanguinis Princeps. Bellis & Victoriis Clarus. Gallia amica Polonis, & formandæ Securitati à Vicinis Noſtris opportuna. Multi Condæo in Aula & Militia Polona obligati creduntur.*

MInùs gratus ob memoriam Reginæ, quæ privatarum virtutum illuſtri & heroicâ famâ, ſed in publicum gravis, & ſupra fœminam, Nimia regnandi, an turbandi? vixit; *Heù! quantùm negotii fuit una cum muliere,* ut alicubi Comicus.

Gallia adversô rumore, etiam aversô amore apud Polonos, cui calamitatum noſtrarum Scena, & fons vulgò debetur. Pacis cum Sueco affirmata

mata ſecuritas. Belli mox inſperata eruptio. Induciarum Stumdorfienſium, quæ Gallicâ mediatione ſteterant, nõ defenſa integritas, nõ coërcita violatio. Proximô jam præliô Pragenſi ad Varſaviam, diſtractæ Polonæ vires. G⁴ſzevius, cùm flore Lithuani Equitatûs ad Tykocinum, Lubomirſcius cum robore haſtatorum ad Cracoviam ordinatus. Generalis expeditio multis menſibus ad Varſaviam otiosè in Caſtris habita, tandem diſſoluta. Palatinatuum majoris Poloniæ, Volyniæ, Rusſiæ, proximè ante conflictum permiſſa diſceſsio, ſplendido Pacis Nomine, per Davocurtiũ Legatũ Gallicũ. Prusſiæ Livoniæq; ante omnia curata renunciatio. Hoc extorquendi Prusſiam conſilio, Tractatuum pacis protractio. Eá pro-



protractione Tranſylvanorum, Coſacorum, Valachorum, Hungarorum, Moldavorum, totiusque vicinioris barbariéi conjuncta Suecis in Poloniam inundatio, Rationum, cur fruſtrá Moſcus oblatione Coronæ á Polonis lactetur, publicatio, & Moſchoviticis Legatis Regiomonti exhibitio. Electoris Brandeburgici Bidgoſtiam evocatio. Pactorum Velavenſium in deteriús ibidem iteratio. Borusſiæ alienatio. Lemburgi, Bitoviæ, Elbingæ, Drahimi prodiga conceſsio. Quæſita Auſtriacum inter & Polonum diſcordia. Cæſariani exercitûs ad Thoruniũ malè amica tractatio. Reginæ Berlinum profectio. Voinſcy Bruxellas, Fantoni Pariſios abſcondita miſsitatio. Mediatione Gallica, *quæ hinc ſtans illinc cautam dixit*, res Suecorum morte Regis & caſibus, tunc licet infracta; Pactis Oliven

livensibus superior. Livoniæ perpetua jactura. Regis Daniæ Fœderati Nostri à Tractatu Olivensi exclusio. Successoris vivente & diu ignaro Rege promotio, ob non designationem in Comitiis Successoris, in temperans & scissionem unionis minitans nomine M. Ducatus Lithvaniæ manifestatio. Violenta Consilia. Corrupta Judicia. Judicum ex equestri Ordine astuta deputatio. Magni civis proscriptio. Ejusdem, ac pro eodem supplicantium immisericors repulsio. Motus intestinus. Collisio statuum. Tumultus civilis interventu Andreæ Trzebicii Episcopi Cracoviensis propè compositi, mox insuper habiti, ad æstatem alteram protelatio. Lithuanæ militiæ in viscera Regni inductio, *cognataque cominùs arma*, & temerè deletæ legiones: vetus bellorum miles. Abrupti toties



ties Regni Conventus. Monetæ adulterinæ aucta in immensum vis. Tot vitia & probra Aulæ. Mulieris privatæ & peregrinæ potentia. Regni Abdicatio. Confœderatio pro Neoburgico. Sexcenta alia: voce populi Gallicarum factionum partus censentur. Volitat etiam per ora, in Crimæá Tauricâ rem Polonam á Gallis agitatam fuisse, & fidem (utinam vanè) adstruit, frequentior in manibus Scytarum Gallici Numismatis moneta, quam per commercia vidisse, aliqui affirmant.

Lumbresius Gallicus Legatus prælium Pragense ad Varsaviam incendit, exasperando Electorē Brandeb: odiosâ & intempestivâ relatione, nempe Polonos ad Tractatum Pacis cum solo Rege Sueciæ propendere, Brandebur-

burgicum uti Vasallum, á Tractatu excludi, quē priùs in genua provolutum rebellionem deprecari, Rex & Senatus jubeant. Quod præcipuæ causæ, Elector, datis ad Imperatorem Ferdinandũ literis, adhæsionis suæ Sueco assignavit, ac Reginâ corám Bidgostiæ retulit. Id verô nunquam publicè dictum, ac licet fortè intemperantiâ doloris ferocius verbum Stephano Korycinio Cancellario Regni privatim excidisset: non erat prudentis & amici Mediatoris, in procinctu jam ipsoque proximé furore belli, animum & arma Electoris iritare. Akakia, quique alii Gallici turbines & faces, oleum huic igni affundebant, quó ruinâ Poloniæ Suecus robustior, Domũ Austriacam faciliús debilitaret. Evulgabant peregré arcaniora Nostra: Pra-



Trabucus, Sanmartinus, Badulus, Noyersius, Bolanenses, cæterique, noctes diesque magnâ inquiete turbis motibusque continuè jactati, suspecti aut suspectantes egimus, Gallizante tunc Aulâ.

Gallia fœdus cum Suecis Poloniæ infestum, Fontenebli 1661. sancivit subscribente Legato Todt, & fidem obstringente, auctoraturos Suecos *Gallico ære exercitum numerô millium duodecim*, ad asserendam armis in Polonia Electionem, majore parte Senatûs Nostri suffragante. Bono Poloniæ stetit, Pacta hæc postmodúm Sueciæ Statui rata non fuisse, ac perturbatis Polonicis Comitiis, & exercitu tumultuante, majorem illam partem Senatûs, tanquam Ajacem Augusti in Spongiam incubuisse.

Rediit iterùm animus Galliæ, Suecos *ad tuenda armis Consilia & partes Aulæ Polonæ* invitandi. Egitque sedulò negotium Legatus Gallicus, Arnoldus Andilius de Pompone Stokolmiæ 1666. præconceptâ Abdicationis Casimirianæ fiduciâ. Sed Consilio Suetico, prout Scriptô responsoriò declaraverunt: non visum, *belli Polonici molem sustinere, Principes prætendentes eum toto Imperio in se concitare: promissam licet Guarantiam Christianissimi Regis ingenti hostium numero, & longinquis è Gallia auxiliis, aliisq; obstaculis, difficilem admodùm, modò ne penitus impossibilem reddi. Remque pro Suecia summi periculi plenissimam fore, si præsentem suum Statum tranquillum, & omne robur totius Regni, non ob proprium aliquod emolumentum vel interesse; sed saltem ob præcautionem aliquam & ad tuendam amici sui causam in Minoritate Regis, absque scitu & consensu Ordinum, tam certissimis & infinitis turbis ac calamitatibus exponere audeat.* Additũ insuper: *metuendum à Poloniæ Ordinibus, nè acceptâ semel per Regis Abdicationem*



*onem novæ Electionis libertate; contra expectationem Aulæ, ea conentur, quæ non solùm ejus intentioni penitùs adversa, sed & personæ Regis & Reginæ maximè periculosa esse possent.* Conclusumq;: *non tamen alieno à re ipsa animo Suecicum esse; modò tutior via monstretur.*

Gallia Comitiis Imperii Electoralibus, minimè reverita est, inter causas obnunciandi Austriaco ad Coronam Imperialem, *S. R. I. Electoribus & Principum ac Statuum Francofurti Deputatis,* submissas Nobis auxiliares copias tanquam excitati belli noxam exponere, violatæque pacis Germanicæ, Regem Hungariæ, invidiâ onerare, quòd datis Poloniæ auxiliis fortunam Sueticam intervertisset, quòd se *bello Polonico, Moscovitico, Tartarico, Transylvanico, Vkrainensi, immiscuisset,* petieruntque Legati Plenipotentiarii Galliæ Granmondus ~~& Lion~~, Memoriali manibus propriis Subscriptô, Austri-

 acum

acum *ad reparanda Sueciæ gravamina compelli.* Quid aliud nisi ad revocandas è Poloniâ copias auxiliares, authoritate publicâ Imperii adstringi; Cracoviam Suecis restitui, indefensam Poloniam armis tunc hostilibus exponi.

De Condæo Principe jam meliora scripseram, & ecce in manus meas, nescio cujus, ordinariâ Postâ Scriptum, ad me inscriptum, pluribus coram amicis allatum, magno scribendi ardore, styli acumine, rerum Gallicarum curiosâ peritiâ. Anonymus iste Condæum Principem aterrimô calamô depinxit. Illum emeritæ apud Gallos & jam consumptæ neque Poloniæ suffecturæ virtutis culpare. Fuisse Ilium & ingentem gloriam Dardanorum: nunc laboribus fractum, vitiis juventutis enervem, pedibus derelictum



ctum, sellâ gestatoriâ ferri solitum, otiosum, & præteritarum rerum gloriâ duntaxat florentem, corpore non tam senectâ, quàm excessibus debilitatum, Martem in acie, in Politicis ineptum, in prælio formidabilem, in Aula contemptibilem, manu quàm consilio proptiorẽ, impietate ergà Deum, ingratitudine ergà amicos, violentia ingenii ergà omnes, nulli mortalium cedentem. Obiurgat idem Anonymus Condæum, nunquam innatam ferociam ad humilitatem Christianam Sacræ Confessioni submisisse. Radzivilio Nostro Calvini Sectatore vescendis die Veneris carnibus Parisiis convivam fuisse. Christianismum tanquam multis sæculis jam nauseantem spernere, & novandæ Religionis desideriô flagrare suismet sermoni-

 bus

bus prodidisse, Insignibus Galliæ fœminis, quas nominare neque Polonorum interest, nec me decet, pactam fidem ingratè & turpiter non servasse, Duces Bovillonæum & Fratrem ejus Turenium, ultra aram amicos, deseruisse. A Senatu Gallico Decretum de excludendis Mazarinianis postulasse, illoquè injuriam justè renuente, per emissarios suos faces Curiæ propè admovisse, ac prodito tentati facinoris auctore, & suspendiô damnatô; metu indignationis popularis, silentẽ egisse. Illum non tam amore Nostro quàm studiô ut Patriô solô emoveatur, & Patria exoneretur, à Gallia promoveri. Illum Gallicæ Militiæ assuetum, tyrocinium longè diversæ apud Nos militiæ, nec acturum nequè toleraturum. Illius ingenium à pace abhorrere, nec bello sufficere. In illum si



si Rex eligatur, *bonum Militem perdidistis, malum Regem creastis*, vetus Romani Imperatoris quadraturum. Filium porrò Angianum Ducem, ne *spes crescentis Iuli* Polonis imponat, Patri vitiis: non tamen virtuti consimilem, vanæ gloriæ retinentẽ, arrogantiâ suâ Aulæ Gallicæ exosum, hæreditate materni generis, né in dementiam prolabatur, metuendum.

Quisquis es! qui talibus istis, oculos animumq; meum implevisti, Tros Rutulusue? Davus an Oedipus? ater an albus? & tu Povali Prusse, qui Nuntium nuper Podoliensem agens, *non esse cum Deo qui favet Condæo*, in vocem publicam Comitiis Varsaviensibus erupisti! non satis estis, ut Condæanæ virtutis gloriam, conspirantibus invidiæ Eurisque Notisque magis radices agentem, magnorum gestorum cardinibus subnixam, apud Orbem, apud me evertatis.

tis. Connatalem velut esse *sinistram erga eminentes Viros interpretationem.* invidiam, *summa petere.* Calumniam, convitium, contumeliam, fortibus infligi, non tamen infigi, bonis authoribus doctus sum. Ego jure ac libens quod scripsi, scribo: Condæum militiâ clarum, experientiâ, ac fortitudine aliisque magnis dotibus parem Sceptrô & rebus Polonicis, moderandæ præsertim ac reducendæ in ordinem Militiæ nostræ percommodum, videri. Sed Gallici ejus comites, Nobis fastidio, quorum turba, notæ insolentiæ, iterùm Aulam Nostram inundaret. Præferuida illa ingenia, & Maximæ Gallici Status non sunt, pro Genio Nostræ gentis, proque forma Regiminis Poloni. Grave Polonis, & innata decoris æmulatione, intolerandum, veniret, sua fortia gesta, sua belli & pacis decora, Gallis adscri-





bi: Mielecius olim Noster clarissimus belli Dux, oppugnatione Socolensi, Vngarum Agasonem reiecit, quòd Stephanus Rex, Vngarorum suorum fortitudinem jactantiùs æstimaret. Elata vox in publicum fertur cujusdam Galli, Aulam Polonam Sectantium, strenuos & fortes Polonos esse, modò Gallici Præfecti armorum imperium tenerent. Auderet, Gallica in scribendo & dicendo quidvis licentia, Regnum Poloniæ inter beneficia Galliæ computare: disputarent Cathedræ, definiret Sorbona, tuerentur Parlamentarii, per Henricum & Condæum, quin & Neoburgicum, Majestatem Christianissimam, in Polonicam Electionem protendi. Legi Parisiis in Gallico librum; Repertorium jurium Regis Galliæ (galli-

cè Recherſes des droits) cum ad omnia Regna, tum ad Regnum Poloniæ, riſi vanidicas & falſidicas rationes, quibus tamen credulıtati populi ſeriò illuditur, adeòque imponitur, ut Regem ſuum euehant ad Deos, Galliam ſolam mirentur, cæteros Reges populosque flocci faciant. Quidquid litium, hoſtium, bellorum, Gallia habet, Regi & Regno Poloniæ accreſceret: obſtrictoque, fœderibus ſecretis, beneficiis apertis Condæô: Gallia conſilium omne an imperium? dictaret, Luparenſem Cameram Varſavia Noſtra moderantem pateretur.

Condæus Uxoratus eſt, quod Communi judiciô, non ad votum Noſtrum, pronioribus Polonorum animis, in cœlibem Adoleſcentem, qui novô Conjugio amicam Domum, & gentem Rei-



Reipublicæ arctiùs obſtringeret. Ita Henricum, Stephanum, Sigiſmundum, necdum Matrimoniis illigatos, Majores noſtri Regno impoſuerant.

De Condæi in Polonia amicis, planê verum eſt, paria non facere, & injuriæ quàm gratiæ vicem ab illis exolvi. Acerrrimè in Galliam & Condæanas partes inſurgunt, qui Gallicis officiis, Condæique reſpectu, ſæpiùs, non ſine flagitio, in Republica honores, opes, dignationem populari facundiâ in Condæum, favorisque auram, criminatione Gallicarum factionum, improbè venantes, mala quæ fecerunt increpant, *& Gracchi de Seditione quæruntur.*

Condæus, acri verborum injuriâ à nonnullis læſus, ſcripſit in marmore, nec facilé ſenſum doloris obliteraret.

 par

par e xNobis diffidentia,&odiũ,veteri ſcito: *propriùm humani ingenii odiſſe quem læſeris.*

Rex Chriſtianisſimus, per Fædus cum Electore Berolinenſe, promotioni Condæi & favori renuntians, ſtudium auramque omnem derivavit in Neoburgicum. Quid ergo Polonis accederet commodi, Condæô Rege, quando Gallia exſortem ſe fortunæ & evectionis ejus intelliget? Pecuniam nullam gratis dabit, gratuitô Noſtrô in Condæum officiô minimè obnoxiam habebimus Galliam. Sola invidia, diffidentia, an & inimicitia? vicinorum Principum Cæſaris, Sueci, Brandeburgici in lucro erunt. Notum in vulgus eſt, quam anxios habuerit Imperatorem & Brandeburgicum mirus ille Aulæ Noſtræ in Condæum favor,& popularium prima inclina-



clinatio, quibus conatibus, ſtudiis, pecuniâ,(parco concivibus) opus adoptionis jam ad faſtigium proximè perductum, per Miniſtros Iſolam & Hoverbecium, ſubrutum everſumqué iverint. Suecia ipſa, Gallis licet devinctisſima, inſurgere Galliam, Condæum vicino Sceptro deſtinari, non lætis oculis aſpexit. Imperator ultra binos Milliones grandem,& Ducatùúm Valorem plus dimidio excedentem ſummam, numerare, levioris diſpendii duxit, ut ſuſpectum Vicinum Condæum ſeu Condæi filium,intra Opoliam & Ratiboriam toleraret.

LOTH-

# LOTHARINGUS.

*Carolus Hyacinthus Lotharingiæ Princeps. Vacuus externæ promotionis. Censu pro nunc tenuiore Patruô solô, opibus præpollente nixus, qui numeratis Millionibus, fortunam ejus sublevaturus creditur.*

AUt nemo Externorum Candidatorum, aut unus præ cunctis Lotharingiæ Princeps monstrari idoneus, *& dicier hic est.* Catholicus avitâ Majorum pietate fundatus. Quorum Orthodoxam constantiam nulli è vicinia novatores infecère, aut loco unquam moverunt. Antiqua & Regia hæc Domus, annos ultra Millenos audit, Patriis apud nos Carminibus Lotharingorum Principum Sacra bella cantantur: etiam à Jagiellonibus Maternum genus deducere, non in prætextum obtentumque Juris, sed in ornamentum suum amoremque Polonæ gentis Carolus ostendit. Anna filia Vladislai Jagiellonici. Hungariæ & Bohemiæ Regis Sigismundi primi ex fratre Neptis, Ferdinando primo Astriaco Imperatori Elèénoram filiam edidit: Hæc Guilielmi Mantuæ Ducis Coniunx, Vincentium Mantuanum reliquit. Is filiam Margaritam, Margarita Henrico Lotharingo nuptui data, filiam Claudiam, Matrem Caroli Hyacinthi generavit.



Vandemontii (quod tanquam inferius á Magno viro objectati audivi) iidem cum Lotharingicis fuêre, & ramus Regnatricis stirpis. Mos habet primogenitum Lotharingiæ Ducem: Barensem, secundum natu Vandemon-

montanum : appellari. Vltimùm nunc duo Fratres Carolus Patruꝰ & Franciſcus, Noſtri Candidati Parens, ductis in Matrimonium duabus ultimis Sororibus, quas Lotharingiæ hæreditas ſpectabat, familiam junxerunt, Ducatumque omnem Jure hæreditario unico hæredi Carolo Hyacintho queſivêre.

Vt tempora jam Noſtra ſunt, lubrica ſuſpicionũ & irritamenti levisſima, validior ad Thronum Poloniæ promotio videtur, promotoribus externis carere. Hìc campus oſtendendi Orbi quàm liberè, ſi nulli addicti, motu Noſtro & virtutis ſolà æſtimatione, Regem eligamus. Immemores, non ab aliis, quâm à Polonis Regem Poloniæ eligi: ita demum memores faciemus, ſi, quemcunque illum conſpiratis externorum fœderibus & illicitis pro-



promotionibus nitentem, omninò excludamus. Talis Rex Polonorum ſponte electus, fortunæ ſuæ faber, noſcet Virtuti & Viris omnia ſe debere. Nihil huic Cæſarem, Reges, Principes, tanquam debitori imputare. Non dimidium, ſed integerrimum amorem Reipublicæ obligare. Immortalitatem Nominis bono publico & præclarè factis ſuperſtruere. Commoda nulla propria vel aliena privatim reſpicere. Maturê expendere: hìc Patriam, hìc penates, & nullà alibi vel aliunde divisâ expectatione, hîc ſpes reſque ſuas omnes deponere. Externis Aulam minimè implere. Opes Poloniæ, extra Poloniam non efferre. Quicquid bellò vel pace quæratur, Patriæ Noſtræ atque jam ſuæ acquirere.

Lotharingus annorum viginti ſex, robore ipso ætatis, parvo negotio lin-

 guam

guam Nostram addiscet, Mores gentis facili tincturâ imbibet. Comitiis, Judiciis, Castris, bonis malisque Nostris variâ fortuna ferendis firmabitur. Sumptâ Matrimonio Austriacâ, aut si usus poscet Moschoviticâ, Regnatricem stirpem fundabit. Æmularum Domuum Austriacæ, Gallicæque, suspiciones integer effugiet. Nullis nos factionibus, Guarantiis, & quôvis nomine vinculis, quorum difficultate Germani Principes laborant, suique vix potentes sunt: intricabit. Cum vicinis nec odiô nec gratiâ notus ex æquo aget. Adolescente Rege planè rejuvenescet Aquilæ Polonæ senectus, & implebitur dictum Caroli V: *Iuvenum esse fortunam.*

Lotharingus bellicam laudem quæsivit Turcicô nuper in Hungaria bello,



lô, magnô animô & impetu incurrisse in hostem, incurrentem, retudisse, unâ die aliquoties acerrimè dimicasse, ferunt qui aspexêre. Hôc Tyrociniô meruerat in Belgium contra Gallos Generalis Dux Copiis auxiliaribus à Cæsare destinari. Tribunum Cæsareæ legionis agere, quid indignum? an dedecori id habitum Joanni Casimiro Regi, qui sub Rege Vladislao in Moscos, sub Galasio in Suecos, Cæsaris Tribunus bellavit? Imò verissimum illud: *Parere didicit: rectè imperabit,* militem sustinuit: Ducem implebit.

Animi & corporis insignes dotes, mens imperio digna, Judicium, Prudentia, Candor, Comitas, Liberalitas, in militem favor, ac quæcunque alia Regnantibus decora & libero bellatorique populo moderando faciunt: in Lotharingiæ Principe laudibus extolluntur.

 Legi

Legi novissimè Trutinatorem aliquem, chartarum lusum & Viennense Gynecæum Principi Lotharingiæ tanquam labem inspersisse. Odit alicubi gravissimus Seneca *alienæ vitæ Censorem, propriæ hostem, publicum Pædagogum.* Ego Candidatum Poloniæ ad Stoicum vel Asceticum rigorem non examino, neque restringo. Sit Adolescentia liberior, non omnia Magnæ Fortunæ denegentur, remittat voluptatibus honestis Rex animum, non resolvat. *Ejusdem esse & Aciem instruere, & Convivium apparare,* Imperator dixit. *Omnis Aristippum decuit color,* & Priscus ille Cato virtutis ac gravitatis Rex, *in publico foro pilâ lusisse* Plutarcho, *in Convivio tripudiasse* Senecæ, *Mero maduisse* Horatio: narratur, laudaturq;. Stanislaus Lubienscius Episcopus & Scriptor magnæ authoritatis, choreas à Sigis-



gismundo III. Gedani celebratas, & invidiore Julii Belli calamo perstrictas, magno in Regem Regiasque remissiones verborum honore defendit. Vidi ego Parisiis clarissimos militiæ Viros solutis in hyberna castris, otiô molles, Aulæ & Gynacæo Gallico assiduos, lætam oblectationibus hyemem agentes. Mox apertô Campô ad sonum classici in Castra, in Aciem ituros. Interfui celeberrimo symposio, (Baletum vocant) quod honori Legationis Polonæ Regina Galliæ dabat; Principem Condæum eminentiori pro more theatrô, decenter choreas duxisse, applaudente in honorem Viri totâ Aula, præsentibus tribus Reginis: Polonicâ, Gallica Britannicâ, Memini cùm Zamoscius Noster, ibidem, à Principe Longævillano comiter

ter invitatus, inexpertus ſaltandi, incompoſitè, neque ad leges Gallicas pedes frangeret, obſtrepente Gallorum intemperantiâ. Silſcius Noſter, modernus Caſtellanus Gneſnenſis, tunc commotior, & errorem Zamoſcianum obtegens, ad Gallum adjunctum. Domine Berliſi inquit: hic Heroibus natus, Principibus par, exercitus ducet, in Turcas, Tartaros, optimè ſaltum dabit. Erat Silſcius Sarmatico in dicendo ſtylo & negligenti elegantiâ ſeriôquè jocorum Latiniſatorum voluptate Aulicis Galliæ notus carusque cui me aſſidente appoſitè Gallus, in Condæum intento digitô, Domine Poſtoli, (equeſtrem hunc titulum illo temporis Silſcius ferebat) At hic Princeps & Heros, exercitum ducit, quadraginta Vrbes *ſæpit*, & benè ſaltat.

Nihil



Nihil ergò indecori aut metuendi, à ludente Principe Diviſa habeat tẽpora otii, negotii, & albternô chorô, chartas tractet. Rempublicam curet.

Quidquid Neoburgicum in Polonia deſtruit, oppoſitâ ratione fortunam Lotharingici ſtruere videtur. Proclive eſt componere, & contrariorum contrarium deducere effectum. Ille ſenex: hic Juvenis. Ille jam ſellâ & conclavi: hic equô & arenâ melior. Ille uxore & liberis gravis: hic ſolutus. Ille in tot ſtirpes diffuſus: hic domûs ſuæ ultimus. Ille Germanus: hic medius inter Gallum & Germanum. Ille Electoribus externis: hic populo electori debitor, ille externis fœderibus injurius; hic intra Poloniam ac Polonorum nonnemine Miniſtrô, decenter actô ambitu innocens. Ille remotior: hic è vicino,

Cracoviam deduci facilis, nullâ morâ, nullô publicô & privatorum dispendiô.

De pecunia non usque adeò mercatoriè agimus, ut in Nos sit:

*Protinus ad Censum, de Moribus ultima fiet, Quæstio:*

vel alibi dictum:

*Ad sonitum strepitumq́; auri suffragia vertunt.*

Bonô etiã animô Lotharingus Noster, mercari nolle quod mereri oporteat, Gallo promotionem offerenti respondisse narratur. Neque tamen pecunia omninò, prout spargitur, Lotharingum deficit, Patruô Carolo à re nummaria probè instructo, & subsidium ingens promptè offerente. Ab obitu ejus jam propè septuagenarii & vergentis, Lotharingia Candidatum Nostrum concernit. Principatus suppremi & nunquã dependentis Dominii, à Gallica vi & prætensione pactis ultimùm sancitis securus, amplus, opulentus, turbis & tricis omnibus expeditus.



Carolus Patruus, naturali filio suo percupiens, non vili pretio apud Nepotem (audita refero) favorem eidem parabit. Nec grave erit Gubernatorem & Vicarium sui in Lotharingia relinquere, qui Principi agendo ob natalium maculam idoneus non habetur. Eâ causâ periculum nullum subest usurpandi à Gubernatore Naturali filio imperii, neque verendum exemplum Caroli Sudermanni, qui per absentiã Sigismundi Regis Sueciæ tanquam derelictam posessionem subripuit.

Lotharingia Regi Polono & Reipublicæ decora, utilis, Juventuti Polonæ ad peregrinationes opportuna, & uni Fi-

ni Filiorum Regiorum, si duo pluresve fuerint, certum patrimonium.

Finieram satis de Lotharingo, sed amicus vir rectè monuit nondum satis & per fortunam oblatâ informatione, animavit: plus ultra. Trutinam quã in transcursu vix attigeram relego, & video Authorem non æquam lancem servasse, pro Neoburgico nimirum evectum, in Lotharingum nimis declivem. Appendo in statera verba Trutinatoris, quæ minus forté habere invenientur. Ab origine pauló altius rem ducet:

*Carolum modernum Lotharingiæ Ducem cum filia unica sine prole mascula defuncti Henrici Ducatum Lotharingiæ accepisse.* Malè aut malignè unicam filiam scribit. Duæ fuerunt Henrico II. Lotharingiæ regnanti: Nicolaa Major Carolo nupta, improlis defuncta. Claudia Francisco, quæ Carolum



rolum Candidatum Nostrum progenuit. Quid aliud voluit iniquus Trutinator, nisi aut Carolum Nostrum sine Matre, novum Messiam, prodigium sæculi, lucem aspexisse, aut à Polonis honesti amantibus ambiguâ Matre tanquam natũ vel suppositítium posthumum existimatum, contemptui & odio propinari. Miror temeritatem, abominor scribendi impudentiam.

*Carolus Candidati Patruus, nullô titulô Orbi notus quam Comitis de Vandemonte;* Scripsi jam Vandemontanos proxima Linea descendere è Lotharingica stirpe. De Lotharingicis nullius injuria affirmo: Regnantium hodie atque olim familiarum, diuturniore dominandi serie, & gentilitia successione nullam in Orbe, Lotharingicâ, antiquiorem & certiorem esse. Extra Bibliothecam positus sum,

 ut

ut mihi historiam Lotharingicã percurrere non sit ad manum. Kochanovii, Maronis nostri, vernaculũ Pöëma manibus puerorum meorum teritur. Ac Volscius meus interrogatus nominavit Bulionium Godefridum Jerozolymæ Vindicem, Saracenorum triumphatorem, inclytum cælo terraque nomen.

De Bullonio Lotharingiæ Duce Justi Lipsii verba refero: *Acres illi in pectore stimulos fuisse qui adegerunt rem tentare atq; aggredi vix Europæ viribus patrandam. Judæa & Terra Sancta à profanis & impiis tenebatur, qui loca illa Christo DEO calcata aut cruentata illudebant ac profanabant. Perdolitum est piissimo Heroi (sic nominandus est, & homine in eo aliquid majus) militem collegit, opes suas & avitum patrimonium expendit, fratres ipsos duos impendit. Deus autem cœptis quàm palam adfuit, ad Sexcenta Millia peditum, Equitum centena millia armavit exercitum quem rarò Europa Nostra vidisset. Scio esse, qui numerum minuant, sed fuisse certum est, etsi non omnes pervenisse.*



*se. Venit igitur in Syriam & (ut Julianis olim verbis dicam) vidit, vicit. Rex Terræ Sanctæ factus, victoriis & vitâ illustris obiit, quem mirari aliquando subiit non & ipsum relatum tum in Divorum numerum tam claris testatisq; meritis.* Ansam mihi dat idem Auctor memorandi è Lotharingicã, Trecentos circiter Sanctos, terris editos, cælo transcriptos, quorum contextas Litanias Carolum Hyacinthum Regni Candidatum habere, atque Christianã pietate & ardenti in Sanctos majores cultu recitare, Nicolaus Richardus Jezuita, mihi nuper Varsaviæ narravit.

*A Gallis uxore & Ducatu privatus.* Non putabam Gallos raptores uxorum, Ducatuum usurpatores.

*Gallia juxta Legem Salicam à paterna hæreditate excludi filiam sustinebat.* Quid lex Salica & Gallica ad Lotharingiam, quid Juris & arbitrii Gallis sine suffragio Prætoribus, in

in Principem ſupremum, abſolutum, à nulla in Terris Majeſtate niſi à Solo DEO dependentem.

*Auſtriacorum protectionem imploravit.* Rectè, cognatus & amicus bello Suetico & Gallico de Auſtriacis bené meritus.

*Vivente Vxore ad ſecunda vota cum vidua de Sancta-Cruce tranſiit.* Nihil iſta labes Patrui (cujus ego vitam, moresque, in medio relinquo) ad Carolum Nepotem, perſonæ probrum ſit non familiæ, & quæ Familia, tam Orbi clara, ut nævò aliquô non umbretur? quod Palatium ſine poſtica parte? maculas aliquas in ſplendidisſimis Cœli Luminibus ruſtica gens, non tamen docti mirantur.

*Summus Pontifex liberos ex Nuptiis cum Sancta-Cruciana de claravit non legitimos.* Nihil indè probri aut nocumenti Candidato Noſtros, ſoli & indubitato Lotharingiæ hære-



hæredi. Informatus rectè ea de re, Lectorem informo: Nicolaa Caroli Patrui uxor, teſtamento condito ſuum (ex ſorore germana Claudia) unicum nepotem hæredem ſcripſit, hac genuina verborum formula: *Nullum hæredem meorum Statuum agnoſco, niſi meum Nepotem Carolum Principem Lotharingiæ, volo tamen ut iis maritus meus tempore vitæ ſuæ fruatur.* Alio publicô Inſtrumentô Jus irrefragabile in Lotharingiam Candidati Noſtri affirmatur, quo Carolus idem modernus Dux Lotharingiæ declarat: *Nepotem Principem ſuum, hæredem incommutabilem, licet ex ſequentibus Nuptiis cum Sancta-Crucia Prolem maſculam haberet.*

*Divitias, ſummâ Belgarum & aggreſtium oppresſione ex rapto & militaribus concusſionibus, ſub ſignis Hiſpanicis acquiſivit.* Deſine, Trutinator conſcientiam alienam interrogare, tuam potiùs appende in ſtatera, neque in odium eant divitiæ, juſto bello partæ, cùm

cùm aliquando eveniat illud Senecæ: *raro ſimul & bonum Ducem & bonùm Virum impleri.* Arduum, profectò & ſupra humanum quæras in militante innocẽtiam. Quid ſi etiam militariter extortas divitias, malè amicâ in Belgio captivitate, diuturnô Hiſpanicô Carcere, ſuâ pœnitentia expiavit, & ſanctas fecit.

*Aſino Bruxellis inequitans ludibriis ſe Patruus exponebat.* Leviuſculum certè id fateor, tamen magnorum Virorum Romæ, Lutetiæ, Venetiis, Viennæ, nugamenta aliqua præſertim Saturnalibus tolerantur. Civilia habentur. Catonis vigor jam exolevit, quo *præſente fas non videbatur Floralia agere.*

Poſtquam Patruum ita depexuit, in Franciſcum Candidati Parentem manus & livorem vertit.

*Romani Imperatoris protectioni ſe ſubdidit Franciſcus.* Dixi jam, Cognationis & meritorum fiduciâ


fiduciâ, nec indecorum ulli eſt, Imperatoriæ Aquilæ alis circumdari, Auſtriacô flumine irrigari.

*Ab Imperatore honeſtam ſuſtentationem impetravit.* Decet Imperatoriam fortunam, alios fortunare. Non dedecuit Joannem Caſimirum Regem Noſtrum Ferdinandi Secundi ſtipendiis militaſſè, beneficia ejusdem manu aliquando ſuffultum fuiſſe. Non recuſavit Neoburgicus ab Auſtriacis diu Penſionem: ergonè id Poloniæ dedecori ſi in Regẽ proclamaretur. Franciſcus proviſionem ab Auſtriaco gratè habuit, tanquam præmium meritorum, quòd Carolo fratre contra Suecos bellante, Statibus ſuis expulſus, egenusque ageret. An ignoramus plurimos, Germaniæ Principes in præmium addictæ fidei, ab Hiſpano & Gallo annua libe-

 rali-

ralitate etiam Purpuratos Cardinales, Imperii Electores, Regnantium primos Ministros amplissimis donativis sublevari? An moderno Regi Angliæ id objectare ausis, quod à Polonis pecuniariô subsidiô (prout tunc Regni bellô vastati tempora ferebant) adjutus fuerit? Etiam rem Polonam ab Avo Regis Angliæ Jacobo gratuitis in Turcam subsidiis, ab Alexandro VII. Pontifice difficillimô bellorum & exilii tempore, aliquanta pecunia valdè opportuna, in spem & fortunam meliorem erectam, ingenui & memores agnoscimus.

*Ab Archiduce Leopoldo ad inimica tunc Gallorum castra profugum Franciscũ filii conscensâ raptim navi in salutato hospite Bruxellis in Gallias.* Parentem secuti sunt, nec dum tunc decennis, frustra invidiâ Patris oneratur, laudis etiam



etiam non criminis est, qualemcunq; Parentis fortunam cujus post DEUM Princeps & debita veneratio est; comitari.

Ornat deindè Elogiis Candidatum Nostrum. *Catholica Religio antiqua Lotharingorum familia, Juventus ad bella & ardua quæq; aptissima, fratribus liber, sine Conjuge, sine prole, sine occasione belli, natura mitis, peritia variarũ linguarũ, Amicitia Austriacorum, experientia militaris, agilitas in exercitiis Equestribus, felicitas ingenii, morum comitas, Religio in servandis promissis & multa commoda à Lotharingio Principe Reipublicæ Nostræ promittuntur.* Magna vis virtutis, quœ ab invito etiam laudem extorquet. Nisi te inter eos censeam, quod pessimum inimicorum genus Tacitus vocat, laudantes. Nam præstuxisse hanc laudem videris in Lotharingico, ut tuum Neoburgicum fastigiô imponeres. Non inferiorem tamen Religionis & pietatis laude si conferas,

 pon-

ponderesq; ne dicam vetuſtate & magnitudine rerum pro gloriâ Dei geſtarum, Lotharingicam Domum Palatino Neoburgica grandiorem recta trutina monſtrabit. *Marmoribus templorum* fixa & ſcripta ſinto Neoburgicæ pietatis monumenta. Lotharingicam; erecta Crucis, Jerozolymis trophæa ad cœlum extollunt. Illic lauri, illic palmæ, manibus & ſanguine Buloniorum, Godefridorum, multorumque Lotharingici nominis Principum plantatæ, manſuræ, æternæ, quas non edax tempus, caſuſvè, ſicut in marmoribus ſolet, aliquando rumpat: ſed cœli terræque cuſtodia conſervet. Pulchrum etiam eſt Lotharingicam Domum atque Provinciam Monſtra fidei non parere, quæ Palatinam in Heidelbergicis, Religionum portentis, graviter devenuſtant.

*Ado-*



*Adoleſcentulum in præceps proclivem.* Proclivi in contumeliam animo nominas, & quæ ætas magnitudini rerum commodior maturitate Candidati Noſtri, nec in extremam ſenectutem devexa nec primâ Juventâ lubrica?

*Auſtriacæ, futuræ Conjugi fidem dedit.* Vereor an id ex fide ſit, atqui fidem etiam juratam Nobis dabit, nullam ſe niſi ex conſilio Senatûs Uxorem ducturum. Et vidè an non temerè obſcuriorem Vademontiis genitum orbique ignotum habeas, cui Auſtriaca Cæſaris filia & ſoror; dignè deſtinetur.

*Quæ à tali Coniugio Nobis commoda* quæris? commodiora quàm à Landgravicâ Haſſicâ Caſelenſi, Darmeſtadicâ, Calviniſtarum Heroibus, cognatione; quorum præcipui Suecis in Nos commilitabant,

tabant. Fridericus Landgravius Frater Neoburgicæ à Christophoro Zegocio Palatino moderno Junuladislaviense ad Costinum trucidatus est. Austriaca cognatio (Adulationem indecorè mihi aliquis affingat, boni viri in corruptâ ac nunquam corrumpendâ fide scribo) Reipublicæ & libertati Nostræ restituendæ auxilia misit. Fecerit commodô suô, ut lividiores carpunt, maximô tamen ditionũ & rerum suarum periculô, hostem in Suecos pro Polonis egit, Illis terrorem, Nobis fiduciam auxit. Virtuti Polonæ casibus infractæ & languenti, atque illi Achilli Nostro Czarniecio animos calcarque addidit. In maximis Poloniæ, conspiratione undique hostium oppressæ, angustiis, Legationes Nobis faventes ad Moscos & Cosa-

cos



cos misit, tractatum induciarum cum Mosco per Allegretum promovit. Austriacæ conjunctionis terrore Rakocius & Cosaci cum ingenti & prædatoriâ gentium colluvie, gradum retulere, & vim furoremque ultrà Vistulam transtulerunt, mox celeritate Polonâ deprehensi, gloriosiùs quàm sub Caudinas furcas missi, & paucis vix elabentibus, ipsôque Rakociô duobus Millionibus salutem pactô, occidione cæsi sunt. Austriaca Conjunctio, Regem Daniæ diu ambigentem in fœdus Nobiscum & diversionem belli pertraxit. Electorem Brandeburgicum partibus Sueticis avulsit, recuperandæ Cracoviæ & Torunio, obsidendo arctissimè Mariæburgo maximum momentum fecit. Moscos, Chovansciô & Sczerbâ Ducibus, ulteriori à Brestâ Lithuaniæ

in

in Poloniam excurſione abſterruit. Suecum ferocientem primùm ad excedendum Poloniâ, mox ad pacis conſilia & media acceptanda adduxit. Paci Olivenſi candido erga Poloniam ſtudio per Colobratum & Iſolam Legatos allaboravit. Legationem nomine Electorum Imperii ad Regem Sueciæ ut à bello Polonico deſiſteret, effecit. Cracoviam, dubitante Europâ; Nobis amicé reſtituit, memoratæ Legationis Electoralis Frãcofurti, evocationis Cracovienſis Viennæ; efficaci Miniſtrô Olſzoviô.

Auſtriaca amicitia, quam ſemper coluimus, imperium formidavimus, noluimusque, á tot ſæculis benévicina, malis Noſtris ſemper indoluit, bonis ſemper lætata eſt. Pro Lubomirſcio fruſtra deprecata, oppreſſo perfu-



fugium fuit. Ad Turcici belli terrorem poſt cladem Machovii ad Brahiloviam auxilia Nobis libentèr promiſit. Regem à Regni abdicatione per Ablegatos Valſteinium eſt Mariebergium, perque literas officii plenas ſeriò, & amantèr dehortata eſt.

Auſtriaca Nobis Sanctum Caſimirum Cœlô & terris mirum, genti Tutelarem & amabilem, felici partu effudit. Auſtriaca Vladislaum IV. Martem Sarmaticum, amorẽ gentis, hoſtibus terrorem, qui bella famâ profligabat, qui Jani Templum in Polonia clauſit, qui Orientis & ultimi Septemtrionis Imperia & faſces Victor calcavit, & in genua ad ſui venerationẽ demiſit. Joannem Caſimirum, (demptâ erga Reginam, ac ultimùm erga Germanicam fœminam, atque Galli-



cas

cas partes nimiâ indulgentiâ) cæterâ Magnum, ob Armenicum populum ritumque, unioni Romano-Catholicæ Ecclesiæ, feliciter in Poloniâ consociatum, Arianisſimum pulſum & proſcriptum, Græco-unitos protectos, Societatem JESV amatam, Toruníenſem Eccleſiam S. Jacobi jure vindicatam, hæreſim in Regno imminutam, nullum hæreticum aut Schismaticum in Senatum cooptatum, Sacra Domini bella contra Chriſtiani nominis & Eccleſiæ hoſtes præliata, ob res togâ ſagoque pro incremento gloriæ DEI & Catholicæ fidei præclarè geſtas, dignisſimô titulô Orthodoxi Regis ab Alexandro VII ultrò donatum, Regiis Virtutibus incomparabilem, in ſententia concluſivâ pluſquàm Senatorem, in adverſis intrepidum & plus-



quám Ducem, toties periculis caput pluſquàm gregariâ audacia objectantem, in acie primum, poſt aciem ultimum, etiam ipsâ Abdicatione quæ trepidationi bonis Civibus erat, tranquillé & decenter peracta optimé de Polonia meritum, Jagellonicæ Auguſtæ domus ultimum & deciduum ſanguinem, ingratiis à nonnomine habitum, mihi pro beneficiis antequàm rogare imò nè rogare quidem deliberarem, ultrò oblatis, ac ſpes meas aureæ mediocritatis otiique non mutatâ duntaxat veſte, ſed vera gratitudine & fide donec mortalis ero, memorandum, amandum, devenerandum, Sceptris Poloniæ reliquit. Illa ex Auguſta Domo Cæcilia Renata, imó Auſtriacæ omnes Reginæ, gravitate, pietate, & ipſæ præluxerunt, & Matronas Polonas formaverunt. Auſtriadis non ratio Statûs, non

non toga & ſagum, ſed thorus mariti & amor populi curæ fuit: non acies ordinare, Conſilia Senatûs, Comitia, Judicia regere, nō Rempublicam quæque alia ſupra ſexum moliri, ſed Domum curare, Regiam cuſtodire, liberos educare, Principes maritos laboribus feſſos oblectare curabant: optimos Cives promovebant, Cancellariis Epiſcopis antiquisſimo & decenti more (qui etiam Auguſtis Imperatoribus in Abbatibus Principibus Fuldenſibus) utebantur. Auſtriadarum negotium & occupatio fuit, ut Templa ornarentur, divinæ laudes Muſicis cantibus inſonarent, paramentis & velis Eccleſiaſticis propriis manibus elaboratis, Altaria inſtruerentur, quarum ultimam Cæciliam Renatam memoria æterna dignisſimam meo etiam hoc calamo in famam ituram, diebus Sacratisſi-



tisſimi Corporis Chriſti Procesſionem comitantem, ultimum fatum in Auſtriaca pietate occupavit.

Carolum Hyacinthum Candidatum Noſtrum *Coronæ impetitorem* vocas? Mi Trutinator, adeònè tibi mens & rectitudo excidit, ut decenter ambientem (optimi enim mortalium altisſima cupiunt) tanta injuriâ aut temeritate verbi peracerbè impetas? *dato nomina rebus.* oſtendere virtutem, curare fortunam, compellare Proceres, Podlodoviô & Zebrzydoviô Patriotis Noſtris Viennæ ſibi notis amicè & propalam uti, hoccinè *impetere* eſt? Brandeburgicum, Gallum, Suecum, Auſtriacum, & quidquid Electorum ac Principum nominibus audit advocare, Primarios Regni Status, qui nam illi tandem videbimus, claudeſtinè ciere; vix Cœlum

lum & Tartara non miſcère: quônam idoneo verbo cenſebis?

*Prætenſionibus immerſa eſt Lotharingica Domus, quietè posſideri non poteſt à nemine qui non à nutu Galliæ pendeat.* Ego quod ſciã, non dum video aliquid ab aliquo ad Lotharingiã prætendi, ſui fuêre à Lothario usq; Imperatore Caroli Magni Nepote, in præſens ſæculum, Lotharingici. Nec ſunt alterius nec erunt. Gallia, potens licet & vicina, nunquam tamen jugum impoſuit Lotharingiæ, aut imponere tentavit. Etiam in Galli quantumvis iniquior ſit; Pactorum & bonæ Vicinitatis religio obſervatur.

*Gallia Parricidii in Henricum tertium Lotharingos arguit. Nec non aliarum Civilium turbarum ſanguinisque tot. Millium effuſi.* Guiſios credo intelligis Lotharingicæ non negem ſtirpis, ſed in Gallicum ſolum tot jam á ſæculis



lis translatos, & plantæ ſuæ nominetenùs vix aliquid referentes. Parcere ſi velim, non poſſum defenſivô calamô Palatinis tuis, quos Boëmicæ rebelliones, Polonicæ invaſiones, hodiernæ ad Rhenum injuſti belli commotiones non tam facilè quám tu velis excitatorum motuum effuſique ſanguinis abſolvunt.

*Linguam Polonicam non callere Lotharingicum.* Aſſentior, audivi certè, à quopiam Dominicano ejus rudimentis Principem Tamoviciis inſtrui. De Neoburgico á Conſtantia Principe Noſtra Poloniſare edocto, aut tu per ſomnium aſſeris, aut ex illis Plautinianis es, qui noverunt etiam quod non norint:

*Quidquid Junoni in aurem Iupiter inſuſurrat.*

*Alumnum & ſtipendiarium unius Legionis Tribunum*

*Lotha-*

*Lotharingum carpis.* Ad Tribunatum respondi, nec repeto. Alumnum Magni Imperatoris non in dedecore, immò in gloria & utilitate Noſtrâ pono, quia adoleſcentiæ & ſtudiorum Auguſtisſimi Principis conſocius, mores ad Auſtriacam normam & pietatē compoſuit, ſi quid juvenilis & è vicina Galliâ afflatæ levitatis adnaſci poterat, gravi & ſeriâ inſtitutione, temperavit.

*Experientia Militaris infuſa Lotharingico ſit oportet, nam unis Caſtris, ductâ contra Turcas unâ Legione, ſub ſignis Cæſariis vix credas acquiſitam.* Putas tu exiguum, contra Turcam militaſſe? Vinco exemplô Vladislai Noſtri, qui ad Chocimum unicâ contra Turcas expeditione rudimenta experientiæ Militaris ſimul illô campô poſuit, ſimul palmam obtinuit, illìc Magnum Imperatorem ex Tirone induit. Ac



*Ac, ſeſe quid poſſet devicto in Thrace probavit.*

Fruſtra tu mihi, & fortibus Viris perſuadeas Neoburgicum Juliacenſi & Monaſterienſi Circummuranô bellô magis probatum & potiorem,

*Quem nullis aluit Bellona trophæis,*
*Ac neq; ſub Galeâ Mavortia canuit ætas.*

*Peritiâ in Equeſtribus exercitiis Lotharingicum Neoburgico imparem, nullumq; in Imperio Romano hactenus Philippo tuo æquari,* quem & *equorum ſtudioſum* ex Græco accerſitâ nomenclaturâ deprædicat. Fatebor, vel ignarus curriculũ hoc in Campo Martio in quo ſe læta juventus exercet Neoburgicum facilè & feliciter olim decurriſſe. Sed ille jam (ita Anni ſexaginta ſpondent) *tardatus mole ſenectæ* Virgilianus forte, *Ille ego qui quondam.* Lotharingus, nolim velim comparare cogis, ludicris iſtis ac ima-

 gina-

ginario Marte prior ad metam hodie decurret. Sed vincat, licet Philippus tuus gloria ista Alexandrum: memini ego apud Guiciardinũ Galeacii, intèr Italos Equestribus exercitiis longè celeberrimi, qui á Ludovico Sforcia Alexandriæ impositus, cum nocte profugisset, multum interesse inter Virum bellatorem & equorum cursorem ostendit.

*Quàm varii Lotharingici, quàm parùm humani, quàm ingrati semper fuerint, omnià posthabentes soli dominandi libidini.* Pro libidine calami scribis nullis exemplis vel authoribus demonstras, verborum flumen est, veritatis nec gutta.

*Venalem spem suam exposuisse dicis Lotharingicum vendito Ducatu fautores sibi coempturum.* Ego hactenus cum multa audiam, nondum id inaudivi, in certioribus habeo, Neoburgicum partem Juliacensis ditionis sub hastam mittere corradendis pecuniis, Provinciales suos emungere, aliquam pecuniæ summam (puto non coëmendis frumentis sed favoribus Polonicis) Gedanum appulisse. Regium illud ac Orbis imperio par quidni Regnaturo nostro accomodem? Patrimonium suum Alexander Magnus in Macedonia & Europa amicis largè dividens: *Asia & Fortuna*, inquit, *mihi sufficient.* Suffecisse Poloniæ Monarchis, Poloniam, extranei Reges quicunque fuère, pro exemplo sint.

*Lotharingici Agnatos Cognatosq; magno agmine Regnum Nostrum inundaturos & Nobis beneficia Officiaq; variò prætextu uti assolet erepturos.* Popularis es, sed vanus qui hæc scribis. Lotharingus paterno Maternoque genere Vnicus est, Phænix suæ gentis, qui Nido


Aqui

Aquilæ Polonæ impositus, faustis ex cineribus Jagiellonicis, felices aves ac illas bonas quas Lotharingicum stemma Casuive Deove inscribit, an & meliores Albæ Aquilæ pullos educet.

Sed Longus & fessus jam, trutinam tuam expendendo, ad meam & Veritatis lancem stylum subduco. Illud Unicum adhuc perpendo, quod tu nosti, nemo præter te novit. *Solo de Republica benemerendi studio Galliam Libertati Electionis Nostræ inhiantem, & non absque Vi Condæum promoventem, Neoburgicum per Tractatus avertisse.* Glaucoma istud Polonis, adeone tuo judicio rudibus, ut offusas tenebras non intelligant? Ubinam isti Tractatus, si Gallia Libertati Electionis Polonæ inhiat, cur adjutrice illâ Sceptro Polono inhiat Neoburgus, cur infensam Poloniæ Libertati Galliam promotione sui magis armat augetque? Cur



Cur Poloniæ Regnum sibi, de Gallis benemerito, tanquam Provinciam dari affectat? Vana hæc velut *somniantibus ludibria* esse tuô verbô concludo.

POLO-

# POLONUS POPULARITER PIASTUS.

Piaſtum ego non amo duntaxat, ſed pereo, blandiente ipſo nominis omine, Piaſtunum, ſeu geſtatorem, qui concuſſam & vacillantem hanc Patriam, Bonam Matrem, ſinu & ulnis velut geſtet. Ducem amoris mei habeo divinæ vocis ſcripturam ad Moyſem: NON POTERIS ALTERIUS GENTIS HOMINEM FACERE REGEM QUI NON SIT FRATER TUUS. Pro Ducibus & auctoribus ſecundis, natura, & quod ex natura ortum ducit, jus, mosque gentium, & utriusque progenies, Leges, exempla. Animalium greges, & avium turmæ, non à diſpari reguntur, generis ſui Ductorem



rem comitantur. Itane? Poloni velut à natura in ſortem ſubjectionis damnati, Alienigenæ imperium ſemper patiemur, nunquam à Patriota regnabimur? Invidebimus capiti noſtro diadema, quô Orbis rectè ſuperbit, quô uſus & exempla gentium ſanguinis ſui Reges coronant? Roma quamdiu ſerviens erat, è peregrinis nullo diſcrimine Reges ſumebat. Pulſis Tarquiniis ultimis externorum, libertate fundatâ, non aliis niſi Romanis Civibus faſces permittebat. Fundamentum libertatis erat ab Indigetibus imperari. Medorum, Græcorum, Perſarum, Imperia nativis Regibus habebantur. Imperatores præfici Imperio Romano non poſſunt, niſi Germani, ratio Aureæ Bullæ *ne decus Coronæ ad exteros transferatur.* Gallia Lege Salicâ

Salicâ arcet Thronô suô externos, & cardinali hoc tanquam scutô peregrinam ambitionem retundit. Lusitanorum antiquarium Statutum ait, *nunquam volumus Regnum Nostrum ire foris de Portugallibus.* Ipsa Sacra Vrbis & Orbis sedes, clausa est Ultramontanis.

Piastidæ fuerunt Reges Nostri, qui à primo Catholicæ Veritatis accepto lumine Episcopatus, Abbatias, Basilicas fundarunt: qui bellicæ virtutis, inclytâ famâ hostes terruerunt, Orbem impleverunt, religionem & regionem plus ultra protulerunt, ferreas columnas Marti Gradivo trophæa ad Tyram & Borythenem, ad Albim, Salam, Balticum, erexerunt triumphatis portis Regiâ victrice dexterâ acinaces suos, sczerbicios, inter triumphalia veterum Regum monumẽta



ta Cracoviensi Arce asservatos infli-xerunt, à primo Piasto ad Casimirum usque Magnum nullo juramenti & Pactorum, sed amoris duntaxat vinculo obstricti religiosè, justè, fortiter Nobis imperitarunt: non subditos & servitutem, sed Cives & libertatem cogitarunt.

Piastus enatus, nutritusque in sinu Nostræ libertatis, illam tanquam verus alumnus adamabit, gnarus candoris Poloni: integrã fiduciam in Nobis reponet, Liberam vocem quam privatus pro Republica protulit, non ægré Princeps audiet, regnabit tanquam legibus rationem redditurus, non pœnitebit eum veteris Reipublicæ, non irascetur Ministrorum Statûs, exactæ legum custodiæ, & Senatoriæ libertati, ac Tribunitio illi: *Intercedo,* bonos prudentesque

 monito-

monitores feret, Vir viris lectus, Viros & virtutes discernet; propria & avita cujusque decora rectè æstimabit, personata, & Neoterica nomina titulares Principatus, Marchionatus, Comitatus (meros Servitoratus) nihil morabitur. Nobilitatis avito titulo, Præsulum, Palatinorum, Castellanorum, id est statuti authoritate, Ducum, Comitum, Baronum veris in Poloniâ splendoribus decus omne censebit; exoticos mores modosque non invehet, severam & antiqui moris Poloniam reducet, nullis factionibus externis inserviet, procul Regiâ suâ externos advenas, Vespillones Reipublicæ, habebit. Abstinebit sigillô Camerarum, multa mala in Republica patrante, & legibus frustrà prohibitô, quod August9 Rex (si Varsivicio fides) primúm introduxit, quô Lutheranæ hæresis



hæresis ad modicum tempus tolerantia (in causa templaria Thorunensi vidimus, legimusque) obsignata est: cujus se Ministrum quidam nuper apud externos Principes vanè jactavit. Scribas literarum peregrini Sermonis interiore admissione excludet, qui Cameræ Regiæ & Secretorum intimi, ac transactores, Rempublicã uti rem non suam, susdeque habere, novare, contundere, nec verecundiæ, nec religioni ducunt.

De scribis externis, extra lineam fortè, sed utiliter in publicum hìc adnoto, legisse memini in Pactis conventis Imperialibus (capitulationem vocant) obligari Imperatorem, nè scribendis epistolis aliâ quám Latinâ aut vernaculâ linguâ utatur. Idem omni-

 nò

nò cupiam Regi Poloniæ pactis præſcribi, nam prætextu literularum Italicarum, Gallicarum, Germanicarũ, intrudunt ſe Cameræ Regiæ extranei, arcana inveſtigant, Regiam dignitatem in titulis & ſcriptionum formulis minuunt, neque penſi habent: prærogativam quandam officii nudiùs tertiùs nati (Reges Poloniæ ad extrema usque tempora Sigiſmundi III. Secretariis peregrinis caruerunt) ſibi affectant. Grave exorbitans eſt, Nominationes Cardinalium linguâ Italicâ ſcribi (errorem contra ſtylum Nominationis nuperrimè Curia Romana, poſtpoſito Regis Poloniæ ad Cardinalatum nominato Epiſcopo Biterrenſi, cauſata eſt) jusque hoc à Secretariis Italicis clanculum uſurpari: curam Neopolitanarum Reipublicæ hæredi-



reditariarum ſummarum: directionem fundationis Romano-Brigittanæ: Legationis Hiſpanicæ: Internuntiaturæ Neapolitanæ: cum Cardinalibus Protectoribus, & cum Principibus Italiæ correſpondentias, omniumque in Romanâ Curiâ Polonicorũ negotiorum velut arbitrium, inconſultis, atque inſciis Cancellariis Poloniæ, quorum id muneris eſt, ab illis uſurpari. Procurationem poſtæ Italis non eximo, quibus nemo curatiùs, id negotium exercere poſſit, quodque Coſtitutione Regni, & Privilegiis tanquàm boni inventores, juſtè nitantur. Redeo ad Piaſtum.

Sed Piaſtus re domi anguſtâ Milliones nullos repreſentabit. Quis ſponſor? etiam de iſtis qui magnificè pro-

promittunt, an certius fortè illud Gallicum Henrico III. inſcriptum, *nihil, nihil.* Aut ſi aliquid, ſi facta dictis adiicere curent, an fortunas omnes in caſum daturi, tanti tamque immenſi advitalitium Sceptrũ comparabunt. Hæreditas Regni nec toto auro venalis, nulli unquam libertatem Noſtram venum aut donum facere certum eſt. Vetus verbum eſt, qui emit; vendat, oportet, Pecuniæ ſuæ, non affectui Noſtro Regnum emptor imputabit, & cariùs addictis tanquam debitoribus plus imponet. Lacunam proprii æris & patrimonii, nundinatione vacantium beneficiorum, aut quôvis quæſtu vel indignâ parcitate explebit. Sed cedo? tot olim larga & vaſta promiſſa Pactis Conventis, Sponſionibus, Diplomatibus, Juramen-



mentis, donec eligerentur roborata, ecquis Principum implevit dum electus eſt? quis opulentiam externam in Poloniam aduexit? nonne Theſaurarius Regni excipiendis Henrico, Stephano, Sigiſmundo obviam præ finibus ivit, & publicis ærarii Noſtri impendiis, iter, ingreſſus, Coronatio, ſtetêre.

Piaſti certior fides, certiores divitiæ & manſuræ: hoc inferet, quod non effert, non efferetur ex Polonia pecuniarum vis, quam ſplendidæ Legationes, magnifici ingreſſus, Procerum pompa, decoriſque certamina, more gentis, & ſtudiô erga novum Principem abſumpturi ſint.

Neque Polonia externarum opum adeô egens, ut propriis non plus ſatis

ſatis abundet. O Poloniam ad invidiam felicem? ſi bona ſua intelligat, ſi bonô libertatis, benè utatur, militem frænet, leges exerceat, & publici ſanctiore diligentiâ, privatum, intra mediocritatem definiat. Caſimirus olim Magnus anguſtiore tunc Republicâ (Lithuania, Maſovia Pruſſia nondum Regno acceſſerant) centenas Civitates, Arces, Eccleſias, muro ſtruxit, ex ligneâ lateritiam Poloniam reliquit, ſimul Imperatorem, quinq; Reges, plurimos Dynaſtas celeberrimis ſuæ Neptis nuptiis viginti per dies Cracoviæ hoſpitio excepit, lautiſſimè habuit, abeuntes Regio ſumptu ad ſines uſque deduxit, moriens opulentam gazam reliquit. In promptu cauſa, Centrum illi Polonia fuit, hîc

nidus,



nidus, hîc Domus, hîc Cor, hîc theſaurus.

Peregrini Reges, à Republica condita, tot ſæculis vix quatuor: Vladislaus Bohemus, Ludovicus Hungarus, Henricus Gallus, Stephanus Tranſyluanus, omnes ſterilitate ac vitio vel infortunio regnandi Polonis præniten-di fuêre. Stephanus ob fundatum Judiciorum Tribunal, ob res bello in Moſcum geſtas ſanè egregius, ſed tamen amoris publici & laudis non integer, quibus intentatæ Archiepiſcopo minæ, bellum Gedanenſe. Curatoriæ ad Ducatum Pruſſiæ malè provida Feudi ejuſdem Ducatûs jam extincti pertinax innovatio: Zboroviorum proſcriptio, in Dembinium & Mieleccium ſummos Viros, quorum ille

O Can-

Cancellariatu, hic Præfecturâ bellicâ evolutus fuit dedignatio: erga Hungaros nimius favor, in judicando retinentior sui beneplaciti sententia: Armeniorum advenarum nativis Civibus Leopoliensibus exæquatio, diuturnior in Lithuania & meliùs affecta residentia, belli Turcici meditamenta. Comitiorum neglecta multos per annos indictictio: quòdque gravior imperio fuerit, quam in Polonos conveniret, non leviter detraxerunt. Jagiellonem & Sigismundum III. Nostri generis, extra peregrinos pono, atque Indigenis Regibus jure accenseo.

Antiquis & novellis legibus Nostris sanctè cavetur, nè externi ad officia, ad dignitates admittantur, Præfectu-





cturas & beneficia Reipublicæ illis obtinere interdictum, cur non magis æquum foret Rempublicam Nosque omnes externo non submitti, nostri potiùs, quàm exotici Sanguinis Principem tolerari. Majorinè & fidiore affectu Nos amplectetur *infectus alimonio, servitio, cultu omnibus externis*, patriâ, moribus, linguâ, institutis diversus; quam Nostras, hisce omnibus connexus? Majori curâ habebit Advitalitium Regnum, præ hæreditario Principatu? Illenè dominabitur Nobis tanquam Pater filiis, qui subditis natis imperat, tanquam herus servis?

Externus Princeps novitiâ adhuc dominatione bonis artibus notescere cupiens, aut Cancellarii, Vice-Cancellarii, Ministrorum Statûs auctoritate Consilioque rem aget, hinc æmulatio

inter pares, ambitio, diſcordia, Reipublicæ venena: grave etiam Miniſtris improſpera, vel non omnia omnibus allubentia illis imputari, offenſionum & invidiæ telis exponi. Vel parendi imperandique externam rationem doctus & periclitans, ſuo velut remigio gubernabit. Hinc querelæ, ambigui ſermones, periculum, denique ne ad Scopulos offendat: an & conveniet Illud expectationi non reſpondentem, *majora credi de abſentibus*, vel Miniſtrorum faſtidio, externis intruſoribus quib9 Reges plurimum fidunt indulgentque, ſeu domeſticis Cameræ ſuſurronibus pravis Magiſtris, quorum de facili apud novum regnantẽ interior admiſſio, aures animumque concedet. Id vero deterrimum & Reipublicæ maximè exitioſum erit.

Polonus, juris, moriſque Quiritium



um peritus, Miniſtrorum obſervans, externorum & ſuſurronum contemptor, Regiâ plane viâ, intra orbitā æqui & juſti feliciter Syrtes & brevia enavigabit, & ſalvâ Reipublicæ nave portum Salutis publicæ ovans tenebit.

Candidati externi quicunque Sponſam hanc procantur, & de aureo Regni pomo decertant, iniuriam repudii altiori mente reponent, nec inultam cum occaſio tulerit ire patientur. Unius evectionem, alius & alius in ſui decrementum & dedecus interpretabitur. *Præferri* adoleſcentem ſenectæ *ſuæ* impatiens dolebit. Solius Piaſti Electio, nemini injuriæ ac læſioni erit. Excluſio omnium ſorte pari, nemini indignè tolerabitur. Si quis Noſtratum huic vel alteri

teri fidem, affectum, verbum obligaſſit, gratè abſolvent, benignè cedent, excuſabuntque, Deo, naturâ, uſu gentium, nixam & rectiſſimam Electionem. Commune infortunium ſolabitur æqualitas.

Quiſquis ille externus eligetur, non fallo, magnatum potior electio erit, qui gratuita ſuffragia vix præſtabunt, ſpe, pactô, utilitate conditionibus, ducentur. Piaſti Electio vera & unica Nobilium erit, quam non privata utilitas, non ab imparato, inope, metuente, ſpes vel pactio conciliabit. Virtuti tribuetur.

Libertatis Noſtræ dos decuſque maximum eſt, Vocis pro Republica libertas. Vereor ne vox tantum ſit, dominante externo. Certè parum firma



firma nec ſatis efficax erit, cum Principem non intelligentem, aut effugiet, aut per Interpretem aliter ſonabit; ut per canales deducta aqua limo fermè miſcetur, nec lucidum illud nativi fontis integrè ſervat, ita per Interpretum ſermo non puré nec fideliter ad aures Principis feretur. Hiſce ego auribus audivi quendam intimiorem Gallicæ linguæ Interpretem, Reginam Ludovicam inter & Senatorem inſignem diversâ interpretatione luſiſſe, ac ſerviendi auribus adulatorio ſtudio, longé Veronâ Placentiam deviaſſe. Prægravè omnino erit non intelligere, non intelligi, alienis auribus audire. Latinioribus etiam ſolæciſare aut è Cnapio & Calepino verba emendicare continget. Qualis illa facies erit Comitiorum, Conſilio-

ſiliorum, Judiciorum, quæ hallucinatio verborum & ſenſuum, & quantitatis non ad leges Proſodiæ obſervatæ in publico deformitas. Quám difficilis inſtruendi de legibus moribusque & planè abecedaria moleſtia.

At qui in Polona Nobilitate, omnes pari Jure agimus, pari ſanguine cenſemur. Principes pleræque Familiæ avitam magnitudinem & à Regibus deductam ſanguinem Nobilitati Polonæ ultrò æquavêre miſcueruntque. Quonam ergo modo Majeſtatem Regis Nobilis impleverit? Eo ſanè quo Magni Imperatores, Reges, Dynaſtæ media de turba Quiritium lecti, & rerum faſtigio impoſiti. Joannes Baſilius non Regium ſanguinem Stephano Noſtro ſtolidè exprobravit.



vit. Cui animoſe ille, *clarior* inquit *ego ſum, quem Virtus, quàm quem venter Matris Regem fecit*: Auſtriaca terris adorata Cœlô proxima Domus, Comiti Habſpurgico Rudolpho ſua primordia debet, qui primus Imperatorio nomine effulſit. Memini Vilhelmi ex Holandicà. Adolphi ex Naſſovicà, Guntheri ex Suartzemburgica, privatis Domibus ad Imperii Auguſtum Diadema electorum. Romani Pontifices non à Majorum Ceris & avitis imaginibus: Duces Venetiarum ex Concivibus leguntur. In Polonia Equeſtris Ordo Seminarium Senatus eſt: inde ad Primatialẽ Crucem, Cancellarii Sigillum, Scipionem Mareſchalci, Clavam belli, ad tiaras curuleſque evectos ſubmiſſo capite & de genu Populus veneratur. *Magni* eorum *animi magnis honoribus fiunt*, Judices Generales ſupremum ad Regni Tribunal,

P

nal, è media Nobilitate deligimus, qui Majestate ferè Regia decernunt, venerationi sunt, & *quos Prætores fecimus miràmur.*

Angit plerosque nè Piastus nimium tollendæ, fortunis honoribus, potentiâ, Domui suæ, curam & publicas opes impendat. Quid in tolerabilius quàm Principem in externos suos spargere & profundere Rempublicam, Quidquid Polono accedet extra Poloniam non discedet, illi hodie, mihi cras; Nostro solatio fratres Nostri, quæsitis fruentur. Generositas Polona non arcâ insepultas flagellat opes, sed spendidè insumit, tenuioribus derivat, divitias usu metitur. Legis denique sanctione beneficentiæ Piastanæ modus in populares cognatos cir-



circumscribi poterit, quem Rex Alienigena in sanguine propinquo junctos, titulis tumidos, & immodica spirantes, non facilè servaverit.

Sed æmulatio inter pares Piastum excludit, tot Viri Illustres, sua quisq; decora ferentes, unus alteri palmam de Regno, vix ac ne vix porrigit, Lithuanus Polono, Polonus Lithuano gradu non cedet, prævertere alius alium ad Coronam ægrè patietur. Paulus Piasecius Episcopus Præmisliensis Vir scribendis temporibus suis verus & fortis. *Invidentiæ inquit, vitiò, isti populi maximè indulgent, circa Electionem Regis, ut cum propterea externum esse malint quàm suum.* Quid ego hic opponam? nisi heroicum animum & in patriam charitatem. Magnus Civis, omnia infra Rempublicam ponit,

 omnia

omnia Patriæ vincit amor, cui concedere boni Viri debemus: ſi Patriam, non commoda Noſtra, fluxa & mutatu levia atque ad poſteros non itura ſeriò amamus, Magnates temporaneos, Rempublicam æviternam, oraculi ſit: Concordiam, Vnionem, Sacra Nomina, quod egregios de re ipsâ libenter præſtemus. Majores Noſtri: Craco, Leſco, Piaſto, protelariis Civibus ſuffragia ultrò detulêre. Avi Noſtri Tęciniũ, Koſtcàm, ornamenta Senatús ad Coronam vocabant, niſi civili animi moderatione alter alteri cedentes, mox diſcordante Republicâ (quod in volumine legum memoratur) privati agere maluiſſent.

Sed in proclivi erit, ut cognatio Piaſti Comitia, Conventus, turbent, & per-



& permiſti Nobis populari aurâ Regis potentiæ & licentiæ velificentur. Quod ego penitùs non abnuo, neque tamen prudentior aliquis abnuerit, poſſe, iiſdem velut parariis, mediatoribus, obſidibus Regem populo, Populum Regi arctiùs obligaris imò Piaſtanos cognatos, metu publici odii atque curâ conſervandæ Regiæ dignitatis modeſtè acturos, ac poſſe coërceri, facilius ſperetur.

Ultimùm adverto. A Republicâ conditâ, nunquam pleniore Jure, & abſolutâ magis libertate Electioni locum fuiſſe, quàm nunc videtur. Piaſtidas, Ludovicos, Jagiellonidas, fata extinguebant, ſcintillæ tamen aliquæ Regii Nominis præ oculis Polonorum micabant. Superabant à morte Patrum

trum Filiæ, vel Sororini. Valuit Regiæ Stirpis amor, nè ſexus etiam vel gradus inferior Throno Majorum penitùs exturbaretur. Hedvigis Regia Princeps thoro ſimul ac Thronô Jagellonem excepit. Henricus & Stephanus quæſiti, qui cum diademate Regio Annæ Jagelloniæ matrimonio dotarentur. Hodiè primum in expectatam occaſionem fata Nobis expeditis omni nexu præbuere liberrimé de Regno Noſtro ſtatuendi. Cur non faciamus? non probemus Orbi & poſteritati? an recté Polonus Regem eligat, recténé morem legesque regnandi præſcribat, ſi rectè electus regnare noverit?

Concludo verbis olim diſerti Oratoris ad Equites Polonos. *Per Deum*

immor-



*immortalem Vos rogo & obteſtor Equites, ne id unquam in animum inducatis, ut externum quàm Veſtræ gentis Principem malitis. Intolerabile eſt mibi credite externi hominis imperium, præſertim quo cum neque linguâ neque mores, neque ſtudia, aut voluntates Nobis ſunt communes, aut pares, qui etiam, ſi quid rectè & præclarè fecerit, non Nobis ſed ſibi & Nationi ſuæ laudem quæret & parabit.*

Ecquis ergo tandem ille Piaſtus? ſileam an denotem? Cenſuram Cenſuræ ſubvereor, verumtamen mihi ego judico, mihi erro. Michaelem Korybutum Ducem VViſniovecium præ multis videri. Princeps á ſtirpe Wiſnioviecíæ Domus, & Korybuti Jagiellonibus Agnati. Parens illius Heros, Palatinus Ruſsiæ, Amor gentis, Pater Legionum, bellorum & Victoriæ Bereſtecenſis, ſuis immortuus, caſtris que lugubribus, totius exercitûs humeris elatus & lachrimis defletus. Aula paterna Polonæ Juventutis & forti-

um

um virorum Tyrocinium fuit, Mater priſci & religioſi moris; Ipſe Caroli Poloniæ Principis, dehinc ab ejus morte Ludovicæ Reginæ nutritius, ejusdem Auguſto ore, & propoſitione privatâ non poſthabendus ſceptrô viſus; Juvenis eminenti Virtute, probitate, moderatione, prudens, literatus, linguarum externarum gnarus, inter anguſtias mutatæ fortunæ exercitus, animo ad rem militarem Patri fortisſimo non degener, quod Campô Regiô ultrà Boryſthenem monſtravit. Numeroſâ cognatione (Domus VViſniovecia ad trium-Viros rediit) non oneroſus. De Regione ultra Boryſthenem magnam partem, ſuâ, cum curâ agitaret, vaſtum illud Patrimonium fortibus & militiæ claris diſpenſaret, litem Zamoſcenſis hæreditatis





turbidam & Reip: moleſtam expediret, Prætorianis è Nobilitate Polona lectis latus cingeret. Denique pro Regula regnandi, animo fixum teneret, *quid aut voluerit, ſub alio Principe, aut noluerit.*

Aut ergo iſte, aut certè *non deficit alter.*

Cæterùm quæ candidè de Candidatis ſcripſi; ſi Reſpublica *Domina Campi Electoralis* aliter cenſeat: deleo, & *intellectum meum in obſequium* publicæ concordiæ libens *captiuo.*

# LECTORI.

VIx in manus accepi CENSVRAM hanc, admiratùs ſum & raptus in lectionem, elegantis, ſolidæ, & temporibus Interregni utiliſſimæ ſcriptionis. Nolens volens Author ſit, novi Summum Virum, Patriæque amantiſſimum boni conſulturum; ea quæ Polonus Polonis præſcripſit, latebrâ & ventorum ſpoliô indigna, bono Poloniæ Publici Juris fieri. Populares mei Vtinam intelligant, & conſilium Scriptoris, DEO, Naturâ, uſu gentium nixum, ſequantur.

---

*Errores Typographi Lector feſtinationi condonabit.*

Hist. Polon.

6, opra